Si cum illis mihi res eſſet, qui aperte dumtaxat detrahunt, ſatis eſſet oſtendere, quid in hoc vitio rationi, atque urbanitati oppoſitum inveniatur, ut horror injiciatur illis, qui ſunt hoc ſcelere adſtricti; ſed non deſunt detractores quidam, qui fratrum exiſtimationem ſumma calliditate diſcerpunt, & qui alienas aures, plauſuſque ſibi conciliant. Detractio, quam ſerunt, in omnem fere terrarum orbem ſe effundit; non clauſtra, non templa veretur; in ſummis æque ac imis, apud divites æque ac pauperes invenitur. Hoc vitium non abhorret ab eorum colloquiis, qui ſanctiſſimam vitam vivere exiſtimantur. Zelum ipſum ingreditur, juſtorum charitate ſe tegit, ac dici poteſt, ne unum quidem ab hoc ſcelere linguam ſuam, & labia innocua ſervaſſe. *P. Maſſillon ſermone hujus argumenti pro Paſſionis Dominica.*

Deſcriptio detractionis & malorum quæ gignit.

Lingua, Sanctus Jacobus Apoſtolus inquit, ignis eſt devorans, iniquitatis univerſitas, malum inquietum, peſtiferi veneni fons; quæ omnia detractioni applicarem, ſi juſtam hujus criminis ideam vobis nunc vellem adſtruere. Detrahentis lingua ignis eſt devorans, pulcherrimos quoslibet flores exſiccans, immitem furorem ſuum in triticum æque ac paleam, ſpiritum, & corpus, populum, & Principem exercens; qui quacumque prætervolat, terram exhalat mephitim; qui in ipſa uſque terræ viſcera pervadit, ut quod mortalium memoriæ mortuum eſt, proferat in apricum; qui in putidis cineribus intra ſepulcrorum horrorem latentibus leves inquirit defectus, quos & Dominus dimiſit, & tempus oblivioni tradidit; & qui fuco, quo illos illixit, æque præſentes oſtendit, ac illis eſſent temporibus, quo homines vivebant; qui atrum loliginis ſuccum allinit iis, quos nequit abſumere, & urere novit antequam luceat, ne quis ſuas flammas effugiat. Addere poſſem detractionem infamem eſſe ſecretamque ſuperbiam, quæ fratris talenta in cenſurarum objecta convertens, exiſtimationi illius lethale vulnus infligit; odium eo gravius, quo occultius; indignam nequitiam, quæ præſentes quidem laudat, abſentes vero vituperat; meditatam barbariem, quę nullam unquam invenire poteſt excuſationem; ſcandalum impium, quod voluptatem, ſolatiumque inquirenti mortem infert; crudelem injuſtitiam, qua fratri quidquid illi chariſſimum eſt, eripitur. Hoc vitio ſocietates diſſociari, in Regnis bellum accendi, in Rebus publicis turbas excitari, in familiis diſcordias ſeri, fratres adverſus fratres, virum in uxorem armari: hoc principium æque ac abjectiſſimæ plebis vitium eſſe; eorum, qui omnibus diſciplinis exculti ſunt, ac eorum, qui omnium ſunt expertes litterarum: *Inquietum malum*. Denique dici poteſt, *univerſitas iniquitatis*, omnia eodem plena eſſe, & nullum eſſe locum, ubi non impune graſſetur. Linguam detractoris mortifero plenam eſſe veneno; ſpicula ejus venenata eſſe; verba ejus necem inferre, ac ipſum etiam ſilentium vulnera infligere: *Plena veneno mortifero*. Hæc eſt vitii hujus imago. *Idem*.

Vobiſmet applicate vulnus, quod fratri infertis, ac ex dolore veſtro damnum eidem allatum metimini. Dicitis illius exiſtimationem a vobis non lædi, & ea quæ de illo in vulgus profertis, nullum eidem parere detrimentum; at quæſo quonam in illum animo eſſetis affecti, ſi tantumdem ille de vobis oblocutus fuiſſet? Proh Deus! quis furor? tunc non ſatis vobis eſſet verborum ultionem repoſcere, ipſam etiam intentionem inveſtigaretis. Fruſtra aliquis vos ad lenitatem hortaturus diceret levem eſſe injuriam, exiſtimationis veſtræ nullam fieri jacturam, hæc nomini veſtro nullam labem offundere: etenim fureretis, veſtrique minime compotes, cæteris furorem hanc damnantibus; ſoli veſtram juſtiſſimam eſſe querelam affirmaretis. Eheu fratres! Iterum dico, Vobiſmet applicate vulnus, quod alteri infertis, vobiſque illud illatum putate: numquid hoc levius fratri veſtro, quam vobis eſt? Cur pro fratre aliud, ac pro vobis pondus habetis? Omnia fratri veſtro levia ſunt, vobis autem graviſſima! Verum eſto, leves ſint fratris defectus, & aliquidne illis additis de veſtro? Ullamne conjecturarum veſtrarum improbitatem admiſcetis? Nonne vulneribus, quæ infligitis, fucum additis, qui non minus periculoſus eſt, quod eſt ſale conditus? atque ut ex fratre veſtro Heroem efficiatis, qui placeat, nonne quibuſdam utimini locutionibus, quæ audientium animos ita diſponant, ut iniquius de eodem ferant judicium? Nonne detractiones veſtras quodnam ſilentio obvolvitis, quod affectatis, & plus cogitandum relinquit quam quod dicere poteratis; ſub quibuſdam ſignis, quæ, cum oſtendant, vos de induſtria intra juſtos charitatis terminos contineri velle, nullos audientibus terminos ſervandos relinquunt? Hoc pacto calumniator fit, qui ſe neque detractorem eſſe credidit. Ad hæc licet etiam detractiones iſtæ per ſe leves eſſent, taleſne ſunt ratione habita ejus de quo fiunt? *Idem*.

Juſti, Eccleſiaſtici, ac illi, qui Divino cultui dicati ſunt, habendi ſunt velut Arcæ Fœderis a peccatoribus non attingendæ, & Deus ulciſcitur vel leviſſimas etiam injurias, quibus afficiuntur. Poſſunt illi quidem ut Arca nutare; virtus enim licet fortiſſima non ſemper æque conſiſtit, verum ægre fert Dominus peccatorum temeritatem, qui illos audent attingere. Vix enim manum extendunt, ut Oza, qui auſus eſt labantem fœderis arcam fulcire, cum illico eos percutit morte; & indignum eſt, quod illi qui imitatores dumtaxat invenire deberent, cenſores inveniant. Ita pueri ſtatim in arena ab urſis devorati fuerunt, eo quod calvitiem Prophetæ irriſerunt: ita impius quidam cum tota interiit domo, quod hominis Dei prophetiam vertit in ludibrium .... Non enim patitur Deus eos, quos ipſe honore dignatur, fieri peccatorum ludibria. *Idem*.

Fratrum tuorum defectus in amici unius auriculam revelas; ſed ille, cui hos narras, alteri committit; dumque per ora feruntur, prout magis communes fiunt, magis augentur. Detractoris lingua ſimilis eſt igneæ ſcintillæ, quæ ingentem ſylvam comburit; publicorum ſermonum defectus eſt malum ſemper majus pro rei veritate exhibere: quod re adhuc integra de fratre dixiſti, parum eſt, ſed unuſquiſque eorum, quibus dixiſti, aliquid addent de ſuo; & ſinguli pro libidine aliquid comminiſcentur. Eſto quidem, fons fere ſit imperceptibilis; fluvius tamen inde exiens univerſam civitatem inundat: fietque maximum exiſtimationis fratris ſui detrimentum. Viduæ oleum defluet, quouſque non deerunt vaſa, quibus contineatur; levis hæc detractio in infinitum creſcet, ſi per plurimorum ora feratur.

Tu qui adeo libere loqueris, & tanta cum voluptate de hujus hominis lapſu, felicior illo es, quod de tuis nemo loquitur: verum culpane vacas? Putant homines tibi majorem ineſſe virtutem; & Deus, qui cordis latebras, penitioreſque ſinus ſcrutatur, idemne cum hominibus judicat? Non debes igitur exiſtimationem tuam niſi quibuſdam cautionibus, quas eludere poteſt Deus permittens, ut de te pejus, quam tu de aliis, homines loquantur. De aliis libenter obloqueris; Verum cave, ne alii de te cum gaudio obloquantur. Memento eum, qui gladio ferit, gladio periturum. Tu qui ancipiti linguæ gladio fratrem vulneras, gladio eodem pariter vulneraberis. Eadem te manet ſors, ac tu quoque fies cœtuum fabula, & ludibrium. Quidam abſtinere non poteſt quominus eorum, qui aliquid peccant, crimen exaggeret, ſed prout ipſe peccat, ſua quoque crimina amplificantur. Ardentiſſimus videtur in aliorum nominibus exquirendis, ſed ſtatim ac illinc egreditur, primus omnium probriis proſcinditur; & qui fratrem damnaverat, primus eſt, qui a mundo damnetur. *Idem*.

Vulgo de illis detrahitur, qui de aliis detrahunt.

Proximi tui exiſtimationem diſcerpis, modo quidem apertis detractionibus, modo vero per cuniculos, ut ita dicam, in audientium animos irrepens callide, atque verſute, acerbiſſimum ſermonem blanda quadam præfatione condiens, ac floribus circumundique exornans, quod mox veneno inficias. Perſuaſum tibi ſit, non defuturas obtrectantium linguas, quæ in te inſurgentes venenatis detractionibus tibi ea in animi parte vulnera infligent, ubi dolor acerbiſſimus futurus ſit. Non parcent honori, & ſapientiæ tuæ; veris fictiſque rumoribus innocentiæ tuæ labem offundent: illos maligna credulitas approbabit: verum patientia tua inter ea probra, quæ tibi ingerentur, judicium adſtruet, utrum te eorum, quæ de aliis oblocutus fuiſti, pœniteat. *Flechier ſermone pro die feſto Converſionis S. Pauli.*

Si invidia in mundo communis eſt, numquid detractio minus late graſſatur? Omnia ſcire cupiunt, ut de omnibus loqui poſſint; mores, ac perſonas inquirunt, ut illis nebulam adſpergendi voluptate perfundantur. Non ſacris, non prophanis, non vitiis, non virtutibus parcitur. Nullum in vita crimen eſt, quod non detegatur; nullum in familiis dedecus quod in apricum non proferatur.

Quod bonum ſit, negligitur, ignoratur; malum vero tenetur, & ut ita dicam, augurando cognoſcitur. Judicatur non actionum dumtaxat, verum etiam cogitationum, ac intentionum, quas ſibi reſervaſſe videtur Deus, malum, & cor humanum licet minime videatur, ac invium ſit detrectantium oculis, eorum tamen probra, & obtutus evitare non poteſt. Unicuique ſua eſt detrahendi methodus: alius aperte exiſtimationi fratris ſui lethale vulnus infert, quin illud leniat, vel ſaltem mucronem, quo infertur, contegat; alius verba multis verborum lenociniis condire non ceſſat &c. *Idem*, *Serm. 2. pro Comitiis ſtatuum Occitaniæ*.

Quinam detractionis vitio maxime pateant.

Si quæris quinam detractionis vitio maxime pateant, reſpondebo: Ille juvenis qui cum integros dies non aliud habeat negotium, quam totius urbis percurrendæ, ſedulo inquirit vel minimam querimoniam, quæ virum inter, & uxorem fuit oborta; qui ſuopte ingenio ad hilaritatem factus primo ſtatim occurſu deprehendit, quid unicuique ridiculum inſit, atque intra breve unius horæ ſpatium, novit ob oculos audientium exhibere quidquid mortalium eſt, quibus os, habituſque, & corporis geſtus ſit parum abnormis; & qui haud hæſitanter de omnium meritis diſceptat, eorumque verum, aut falſum caracterem deſcribit. Homo ille, qui publicis conductus videtur ſtipendiis, ut familiarum omnium nomenclaturam, & facta recenſat; & qui, ubi ſeſe obtulerit occaſio, fidelem texit hiſtoriam rerum a parentibus, abaviſque illius, de quo accidit ſermo, geſtarum. Mulier illa, quæ ſecretis invidiæ ſtimulis acta, & injuria, qua privatim affecta fuit, excitata, & dolens, quod aliqua vel etiam amica, & familiaris, ſibi fuerit antehabita, ſtatim exardeſcit, ubi de induſtria aliquot prolata fuerint verba in eorum laudem, quorum amorem abjecit. *Ex manuſcripto ſermone Pat. Stephani Chamillard.*

Qui hujuſmodi ſermones ſibi in habitum convertere ſtudet, habeat proculdubio neceſſe eſt, leporem, acrimoniam, feſtivitatem, quæ aliis quibuslibet negata eſt. Fas huic eſt, nugari, augere, leviſſimam quamlibet rem amplificare, ſexcentos caſus ſupponere, & feſtivis, mimiciſque locutionibus uti. Quæ autem tunc ſeſe prodit hilaritas? ipſi etiam geſtus, ipſe oculorum circumactus, omnia laceſſunt, & placent. Ego quidem non intelligo, quomodo mortalis hiſce dotibus præditus cœtum virorum, qui pietatem, & Chriſtianam charitatem nullo habent in diſcrimine, tædio afficere valeat. Detractori idem accidit, quod Satyrico; uterque exiſtimationem ſuam iis debent argumentis, quæ tractant; & ſi de ſeriis tantum loquerentur fortaſſe inter cæteros non eminerent. Verum quam infelix talentum eſt, & pernicioſa cognitio, noſſe cum lepore proximi exiſtimationem laceſſere, & callere artem onerandi conſcientiam ſexcentis peccatis, quæ numquam fortaſſe deleri poterunt! *Idem*.

Deus detractionis culpā non dimittit, niſi damnū proximo illatum reparatum fuerit.

Sanctus Chryſoſtomus ait, Deum ad pacem, & concordiam inter homines fovendam, docuiſſe, nullam nobis ab illo veniam ſperandam, cum aliquod ex iis criminibus patraverimus, in quibus res fratrum noſtrorum aguntur, niſi primum illatum damnum reparare incæperimus: Itaque Deus ille, qui ſemper paratus eſt, ut aliquid de ſuo jure remittat, & nobiſcum in gratiam redeat (vera enim pœnitentia, ſinceruſque dolor cum lenit, & flectit, ſi unum ipſum lædere auſi fuerimus) hanc peccatorum noſtrorum deteſtationem repellit, ac ſe nobis inexorabilem præbet: Deus inquam, alias nobis obligationes injicit, cum illum ad iracundiam provocantes proximo damnum intulimus, ac illud reparare detrectamus. Utique: ubi hæc adſit occaſio, a creatura primum venia impetranda eſt, antequam a Creatore petatur: utriuſque negotia ſimul cohærent, & conjuncta ſunt, ita tamen ut quod ad hominem ſpectat, ſit primum. Hujus veniam obtinere contemnis? reliqua inutilia ſunt, ſine fructu, & ſine merito: quæ Veritas ita manifeſta eſt, ut nemo illam ignoret, & quidquid conemur, numquam ex cordibus noſtris eam oblitterare poſſimus. Intelligis ergo, detractori omnino illatum a ſe damnum reparandum eſſe. At aliquidne difficilius, quam hoc munus obire? Nihil exaggero; at equidem credo pauciſſimos homines velle, & quod maxime terribile eſt, poſſe hoc ad unguem explere: & irremiſſibilis hæc noxa fieret, niſi acceptaret Deus quod facere adnitimur, cum id pro virili facimus, quod in noſtra poſitum eſt facultate. *Idem*.

Experientiam veſtram ipſe teſtor. Ex quo in mundi hujus luce verſamini, ſexcentas inſignes, & noxias detractiones vos audiſſe non dubito; & fortaſſe voſmetipſos conſcientia veſtra redarguit, quod & ipſi in crimen hoc lapſi eſtis; atque ſi mecum animo reputare vultis ſermones, quos habuiſtis de adverſariis, cum quibus in foro vobis lis erat; de ſuperiore illo, qui vobis erat infeſtus, & gravis; de competitore, cum quo aliquam dignitatem appetebatis, quoties in toto vitæ veſtræ ſpatio vos alteri detraxiſſe invenietis? Verum enim vero quorum vidiſtis ea, quæ dixit, retractare? Aliquiſne vos ipſos convenit, ut palinodiam caneret, ac ſe nimis temere locutum fuiſſe fateretur? Vos ipſi ſtuduiſtis tutas, certaſque invenire vias, ut exiſtimationem, cui damnum intuleratis, repararetis? Heu! licet toties ad Pœnitentiæ tribunal acceſſeritis, & inter cætera noxam hanc ſitis confeſſi, nondum audita eſt aliqua retractatio. Si hujus obligationis juſta haberetur idea, utraque æque communis eſſet; & quot aliis obtrectare audiuntur, totidem dicta retractare audirentur. *Idem*.

J. C. exemplo detractio ferenda eſt.

Dei ſervis, cum eorum nomini obtrectatur inſigne ſolatium eſt, ſcire, ſe hoc pacto fieri domeſticos illius, qui ante ipſos, & pro ipſis hoc ipſum eſt paſſus. Verum ut hunc honorem, & adeo æſtimabile privilegium tueantur, ſumma officii fide hac in re imitari debent magiſtrum ſuum, atque illius exemplum ſecuti, hominum maledicta, & calumnias ferre. Cum enim Mundus ſit miſeriarum, pœnarumque locus, nemo eſt, qui huic, uti cæteris, minime pateat, & Dei ſervos ab hominibus ſæculi ſola patientia diſtinguit. Hi nonniſi inviti, & animo amaritudine, & impatientia repleto ita patiuntur, ut æque nocentes ſe præbeant, ac illos a quibus læduntur: Servi autem Dei cum humilitate, & pro peccatorum ſuorum expiatione recipiunt pœnas, quas ſe mereri putant; vel niſi eas meriti fuerint, eas alacriter ſuſtinent, quoniam digni habiti ſunt, qui CHRISTUM JESUM imitentur. *Liber, cui titulus: Paſſiones Domini JESU CHRISTI.*

Modus rubore ſuffundendi maledicos, qui omnium maxime præſens, & Chriſtiano dignus ſit, eſt illos per patientiam, ſuavitatem, & beneficia in virtutibus erudire. Nullum tempus inutilius teritur, quam quod impenditur adnitendo, ne homines loquantur. Qui de proximo ſuo obloqui geſtit, quærit non utrum jurene, an injuria aliquid dicat, ſed ne ſibi deſit, quod dicat. Numquam majori flagrat loquendi cupiditate, quam cum rationes illi afferuntur, ut taceat .... Silentium, ſuavitas, perſeverantia in bono, ſancta, & ſapiens diſſimulatio ea ſunt arma, quæ validiſſima obtrectationi valeant opponi; ſi enim ex nequitia procedit, ſatis punitur dolore, quo afficitur, quod libidinem ſuam nequeat explere contra inimicum, qui ictus propulſare dedignatur: Sin autem ex ignorantia, habituque pravo; quam primum illam cohibet ſilentium, neque diutius blatterat. *Idem*.

Hominum detractiones ſunt contemnēdæ.

Si quod eſſe poteſt remedium iis, quæ de nobis dicuntur, illud ſane eſt, noſtram vivendi rationem nequaquam ſecundum hominum dicta conformare; ſed potius nullam vituperandi cauſam illis præbere. Si cordis noſtri intentiones actioneſque vitæ ſecundum Evangelii præcepta inſtituerimus, ea quæ homines dicunt, negotium nobis faceſſere non debent. Ipſa etiam docet experientia nullum periculoſiorem eſſe ſcopulum in virtutis via, quam cogitare, quid homines dicturi ſint; & eum, qui ſeſe huic ſubjicit non diu fidelem Deo permanere. *Idem*.

Detractio incurabilis morbus eſt: inutile igitur eſt illi mederi velle; ideoque contemnenda eſt ſi cordis tranquillitatem ſervare velimus. Eorum enim, qui detrahunt, plerique hoc faciunt, vel ut ipſi oblectentur, vel ut nobis noceant. Qui ex ſola detrahendi libidine detrahunt; nulla religione moventur quantumcumque dolorem afferant aliis, atque ſe remediis indigere non credunt. Eorum immo agetur voluptas, cum ob ea, quæ dicunt, iraſcimur, atque ipſorum dicteria impatienter ſuſtinemus .... Quamobrem Philoſophi veteres ſapienter ſuadebant, ut detractiones pro ſalutaribus monitis haberentur, & veluti ſpeculum, quo nobis defectus noſtri exhibentur: id enim, quod amicus per amicitiam excuſat, vel per reverentiam diſſimulat, vel non videt per negligentiam, detractor libere dicit, & palam ea oſtendit vitia, quæ nobis ſunt metuenda. Hinc Sanctus Bernardus ait, virtutem plurimum roboris, & nitoris amiſſuram, ſi abſ-

ſi abſque exercitatione langueat; hanc vero a maledicis, & detractoribus exerceri, atque illorum impotentiam ferendo, eiſque bonum pro malo reddendo puriorem fieri, perfectioremque. *Idem.*

Detractio vitium eſt, Deo, & hominibus odioſum.

Detractio vitium eſt univerſe odioſum; cuinam? Deo, & hominibus: Deo, qui cum ſit amor, & charitas eſſentialis, ideoque eſſentialem habet detractioni oppoſitionem: hominibus; quod enim magis infenſum eſt, quam illud vitium, quod non ſummis, non imis parcit, non ſacris, non profanis, & cujus perſecutionem neque ipſa capita diademate redimita poſſunt evitare? Quid magis infenſum homine, qui tyrannicam ſibi vindicat poteſtatem in proximorum exiſtimationem, qui eorum famam imminuit, & qui eos aggreditur tunc etiam, cum injuriam propulſare non poſſunt? Hic autem detractoris caracter eſt; quapropter cum de illo Scriptura loquitur, eum nobis repræſentat velut hominem eo in loco, ubi immoratur, terribilem: *Terribilem in civitate ſua vir linguoſus.* Eccli. 9. Et profecto da mihi detractorem, & videbis, hunc ſui terrorem quocumque injicere. Timetur in urbibus, communitatibus, in privatis domibus, apud Principes: verbo, ubicumque eſt timetur. Timetur in urbibus, quia ibi ſeditiones, ac diſſidia ſerit; timetur in Communitatibus: quia ibi alit ſimultates, & inimicitias &c. *P. Bourdalove in ſermonibus, qui ſub ejus nomine circumferuntur.*

Lingua, Sanctus Jacobus ait, malum eſt inquietum; neque in hominis poteſtate poſitum illam cohibere. Affectus omnes cum cordis improbitate conjuncti ad detrahendum impellunt. Aliquem odiſti? detractio tuta eſt, & parum periculoſa ulciſcendi ratio. Si acceſſerit invidia, tunc magis virulenta detractio eſt. Aliena gloria officit noſtræ? tenebræ illi ſunt offundendæ. Superbia tumes? quis non? exiſtimationem tuam cum alienæ detrimento ſtudes provehere. Ingenii polles acumine? illud lepidis detractionibus oſtentas. Non polles? alienis ſumptibus creſcere conaris, ac tuam infirmitatem celare, alienam exaggerando. Virtutes ipſæ detractioni ſtudere videntur; nec deſunt, qui imprudenti zelo ſine ulla religione alieno nomini obſtrigillant; & malum, quod latet, medendi ſpecie, in publicum ſcandalum vertunt. *Pater Nepveu Tomo 2. Conſiderat.*

Detractio ignavum eſt vitium.

Detractio turpe vitium eſt, & ignavis animabus proprium; quædam eſt ſpecies latrocinii. Hominem palam aggredi non audent; tuto enim aggredi nequeunt; clanculum id fiat. Hominem imparatum aggrediuntur, ne cogitantem quidem, & qui cum abſit, nequit vim propulſare. O turpem ignaviam! quæ tanto deterior eſt, quia hominem perit nobis innoxium, & a quo læſi non fuimus. Vulgo illos tantum lædimus, qui nos læſere; atque tunc ex dolore aliqua peti poſſe excuſatio videtur; quomodo vero excuſetur, qui alterum non læſus lædat, eumque pro mera libidine pugione confodiat? Proditio paſſim accedit ignaviæ; blandis excipitur verbis ille, qui perdendus eſt, elogiis illi cumulantur, qui malignis detractionibus proſcinduntur: laudantur, donec eorum fama minuitur; detractio conditur laudibus vel frigidis, vel malignis, quæ majorem detractioni fidem conciliant, & vulnus magis inevitabile efficiunt. *Idem tomo 1.*

Levitas, & imprudentia numquam coram Deo detractionem excuſant. 1. Nam vitium loquacitatis, & habitus per omnes diſcurrendi locos, & effutiendi quidquid levis imaginatio linguæ imprudenti ſuggerit, nequaquam Chriſtianæ religionis legibus conformis eſt. Chriſtianus homo eſt, qui ex fide vivit; vita illius intenta in id eſſe debet, ut in ſpiritu ambulet coram Deo, ut cordis ſui motus exploret, & quærat omnia gratiæ momenta, ne ullum ſibi elabi patiatur: Verum itane ſe gerunt imprudentes illi, de quibus loquor? quandonam ſeipſos colligunt? quandonam Deo vacant? 2. Hæc eadem imprudentia, quam veluti excuſationem prætexunt, nonne ipſo Dei damnatur oraculo? Per os ſapientis locutus eſt Dominus, & hanc loquacitatem culpa nequaquam vacare teſtatus eſt: Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*; hoc eſt ſecundum S. Hieronymi interpretationem; cave ne loquendi prurigo neceſſariam auferat tibi conſiderationem, ad hoc ut quomodo ſapientem, verumque Chriſtianum decet, loquaris. Adveniet dies, cum ſemet excuſabit propter imaginationis levitatem, ac verborum affluentiam, in qua difficile eſt imprudentem non eſſe. Verum nonne integrum tibi fuit, conſiderare, quæ diceres? Nonne tibi moderatum inducere poteras ſilentium? . . . 3. JESUS CHRISTUS teſtatur nobis in judicio inutilium quoque verborum diſtrictam rationem eſſe reddendam. Quid autem per hæc verba S. Auguſtinus intelligit? nempe nos rationem eſſe reddituros verborum omnium, quæ non fides, vel ratio dictaverit; quid porro de verbis detractionis exiſtimandum eſt? Quid! ſi levitas ipſa non excuſat ſermones, qui nullos gignunt effectus malos, qui fratrum exiſtimationem non lædunt, & quibus non alius eſt improbitatis caracter, quam temporis jactura, numquid imprudentia detractionis, cujus adeo moleſti ſunt effectus, poterit excuſare? Ne dicas igitur, cum imprudens illud verbum excidit mihi, non conſiderabam, non attendebam, dicam enim, ſe attendere, & conſiderate loqui debuiſſe. Incendium, quod excitaſti, diſcordia, quam accendiſti iis in familiis, quæ olim unanimes erant, merebatur profecto, ut verba tua ad trutinam revocares. Apage peccator infelix; Deus ultor pari pœna & eam quam temere, & eam, quam conſulto protuliſti, detractionem, mulctabit. *Sermo manuſcr. P. Catrou.*

Detractor improbam percipit voluptatem, & ob hanc unam detrahet aliquando.

Sæpe ille plauſus, quem ſibi captat detractor, eaque attentio, quam ſibi conciliat, in illius corde improbam parit lætitiam. Quodnam gaudium in cœtibus dominari, omnium in ſe ora convertere, ſales adſpergere, ſibi riſum excutere, ac tandem feſtivis dicteriis eos ſermones condire, qui alioquin nullum haberent leporem, aut feſtivitatem? Profecto nihil magis comicum, quam detractio; modo ridiculum imitatur; modo ſermones, & locutiones mulieris alicujus traducuntur; aliquando illius guſtus, ornatus, placendique ſtudium in ludibrium vertuntur; aliquando vita illius cenſoria nota perſtringitur. In preſentis pietatis gratiam præteritis criminibus non parcitur, & præſens hæc etiam pietas in ſuſpicionem vocatur propter prәteritam infirmitatem, leviſſimæ ſuſpiciones tamquam probatiſſimæ veritates venditantur, & indiſcreti ſermones tamquam publicæ diffamationes habentur. *Idem.*

Cum detractio invidiæ eſt effectus (quandoquidem hæc animi ægritudo præ cæteris eadem uti conſuevit) turpis eſt, ac generoſo corde indigna. Hoc vos minime fallit, Auditores; invidiæ proprium eſt graviſſimas parere proditiones. Nemo ſe invidum fateri vult, hoc immo ſibimetipſi abſcondere geſtit; qui enim invidet, inferiorem ſe fatetur illi, cui invidet; adverſarii ſui facta comparatione exardeſcit, & metuit, ne aliena gloria officiat ſuæ. Quid autem invidus? Veritus ne videatur de propriis diffidere meritis, ac illum, cui obtrectat, plurimi facere, ſecretæ detractionis conſilium ingreditur. Tunc ignave quot vulnera infligit imparato? Quibus artibus utitur, ut illi gloriam auferat, quæ ſuo officit nomini; vos teſtes invoco, quos Mundus in id genus artificiis edocuit. Mulier alienæ invidens formæ, venuſtati, fortunæ, quot nectit clanculum dolos, ut illi, cui invidet, labem offundat; Competitor, qui alterius dignitatem hirquinis intuetur oculis, quam prætermittit verſutiam? Eheu! Homines metuunt vulgo, ne videantur ignavi; metuant ergo, ne videantur maledici. Detractio, quam parit invidia, ſemper cordato viro eſt indigna. *Idem.*

De Detractione ex odio profecta.

Cum detractio ex aperto proficiſcitur odio, impudens eſt, injuſta, rabida. Vos terræ judices teſtor; qui circum vos murmurare videtis acerrimas quaslibet cupiditates, quoties obſtupuiſtis audientes detractionis ſuſurros in auribus veſtris, ubi fatale diſſidium cives, amicos, conſanguineos perturbavit; quam terribilis detractio contra ea nomina, quæ in maxima veneratione ſunt poſita? Cum de magni momenti agitur re, nihil ducitur nefas: mortuorum cineres agitantur; turbatur requies eorum, ut in lucem proferatur illorum turpitudo, quæ cum illis tumulata eſſe deberet. At ferendum etiam hoc malum eſſet, ſi hic detractionis furor a fervido Declamatore ad Oratorem, qui ex commentariis loquitur gradum non faceret. Quæ enim iſta forenſis eſt eloquentia, quis furor præclariſſimas deturpare exiſtimationes! Judices, qui hujuſmodi cauſis aures adhibetis, quænam a vobis Deo ratio erit reddenda? Verbum, unicum verbum furentem Oratorem, qui a propoſita cauſa divertit, ut in injuſtam ſatyram latius vagetur, revocare potuiſſet; vos id non feciſtis, vos furoris ejuſdem rationem eritis redditurі. Verum quænam adhuc terribilior ratio ob contumelioſo libellos, quos odium profert, & quos incuria, vel politia tolerat? At enim animi fervens ægritudo hæc omnia detractionis genera profert. Egregiam ſane rationem reddendam Deo ex nobis fratris noſtri honorem coinquinatum repoſcenti! Domine! odium dumtaxat, vindictam, inimicitias fovebam, ac me rabies mea furentem obtrectatorem effecit dupliciter injuſtum, quod & acerrimus ultor fui, & furens detractor, *Idem.*

Unus adhuc detractioni ſupereſt prætextus, qui ſpecioſus quidem eſt, at minime ſolidus, zeli videlicet prætextus: vitium enim, de quo loquor, vulgo ſolet ſanctiſſima etiam corda pervadere; in Sanctuarium ipſum obrepere, Sacerdotis linguam divino imbutam ſanguine polluere; clauſtra penetrare, ac ſolitudines; eos, qui pacati ſunt, commovere; eos qui Deum timent, ad arma provocare. Unde hoc? quia zeli prætextus fel in ſanctiſſimas etiam animas effundit. Ita Ezechiel Propheta *cap.* 8. ea mala recenſens, quæ intra Templi ſeptum a Levitis in commune viventibus patrabantur, addit, idolum zeli inter eos contentionem excitaſſe: *Idolum zeli ad provocandam æmulationem*, Tunc enim detractio zeli, religionis, publicique boni nomine palliatur; contra temporis vitia, & contra tolerantes illa invehuntur; illis remedium quidem afferre nequeunt; ſed ſuæ libidini ſatisfaciunt, qua vituperare, & in invectivas erumpere ſtudent. Verum eſto ſi in vitia tantum inſurgerent; ſed eorum auctores produnt, ſuaſque detractiones confirmant zelo, qui ſecundum ſcientiam eſt, non Dei quidem, ſed Mundi, qui detractioni perſonam inducere, eamque pro virtute traducere novit. *Idem.*

Paſſim per jactantiam detrahitur.

In detractionibus inanis gloriæ voluptas invenitur; aliis enim obtrectatur, ut indirecte noſmetipſos laudemus. Nemo unus ferme, ſi auderet, ſeipſum laudibus non ornaret; verum quemadmodum ſi modeſtia careat, ſibi injuriam inferre metuit, tenetur ad occultas, callidaſque vias confugere, atque efficere, ut merita ſua ab aliis intelligantur, quin in ſe nimiæ vanitatis exprobrationem convertat. Seipſum palam non audet laudibus extollere; ſed ſperat fore ut de aliis verba faciens ſeipſum indirecte commendet; ac teſtatus nefariæ actionis horrorem, teſtetur etiam, ſe virtute ſua illi patrandæ imparem eſſe, & quo magis aliorum vitia deteſtabitur, eo magis ſe iiſdem vacuum oſtendet, alioſque in admirationem rapiet earum virtutum, quas poſſidet. *Liber qui inſcribitur, Ars cognoſcendi ſeipſum.*

Tu qui cum voluptate detractioni adhibes aurem, vide, quam committis injuſtitiam, & obligationem, quam ſubis reparandi honorem, cui macula offunditur, certum enim eſt, ſi detractioni faves, & ſi aut voluptate, qua te affici oſtendis, aut ardore, quo te eidem immiſces, detrahentem excitas, atque confirmas, te ejuſdem criminis eſſe participem, ac te non minus, quam illum ad damnum reparandum teneri. Quamvis etiam ad detractionem non excites, neque illi coopereris, niſi illam prohibes, immo per curioſitatem bibulis auribus illam excipis, plus, minuſve peccas, prout majus, minuſve alterius exiſtimationi affers detrimentum. *De la Volpilliere tomo 3.*

Facilitas committendi peccatum detractionis.

Ad cædem patrandam, S. Chryſoſtomus inquit, præterquamquod ille, cui paratur, non ſemper in noſtra poteſtate eſt, ſexcenta ſunt præcavenda; tempus ut plurimum importunum eſt; & non deſinunt loci parum ad hæc nefaria explenda conſilia accommodati. Adhæc non omne armorum genus tutum eſt; non ictus omnes vulnera infligunt, neque vulnus quodlibet lethale eſt; ſed ad honorem auferendum, unicum verbum dicendum eſt; ubicumque adſit ille, cui detrahis, exiſtimationem ejus invenis ibi, ubi adſunt homines, a quibus agnoſcitur; ideoque nullus fere locus eſt, ubi eidem officere nequeas. Cæterum ad id tempore diuturno opus non eſt, unicum ſufficit momentum; vix detrahendi voluntatem concepiſti, cum jam acta res eſt. *P. de la Colombiere Tomo 4. Sermone hujus argumenti.*

Linguæ noſtræ mobilitas, ſi aliæ deeſſent rationes, oſtenderet detrahendi facilitatem; eadem enim qua loqueris facilitate, etiam detrahis. Immo detrahere facilius eſt, quam loqui. Nonnumquam ipſo etiam ſilentio detrahitur, præſertim vero cum adfectatum, myſticumque videtur. Capitis quaſſatio, manuum motus, os ad riſum compoſitum, oculi nictatio pulcherrimam quamlibet exiſtimationem lædere poteſt; & vel minimus ex his nutibus ex ſe ſolo tantum nonnumquam valet, quantum prolixa ſatyra, & crudelis. Verum præter hanc facilitatem momento declarandi id, quod ſentimus, vel id quod de aliis cogitari volumus, plurima ſunt, quæ detractionem facilem faciunt; puta, voluptas, qua naturaliter detrahentes afficimur, ſive hæc improba, & crudelis voluptas ex ſuperbia oriatur, quæ falſo perſuadet nos ex æqualium depreſſione creſcere, ſive effectus invidiæ ſit, quæ detrahere gaudet, non ob aliam cauſam, niſi ut alienæ obſtrepat felicitati; quomodocumque ſit, inficias ire nemo poteſt, nobis omnibus ſecretum ineſſe ſtudium de proximo detrahendi; cumque naturæ adverſari difficillimum ſit, niſi maxima utamur vigilantia, natura ipſa facile nos ad detrahendum impellit. *Idem.*

Multifariam detrahitur, & variis prætextibus detractio palliatur.

Sæpe ipſa natura leniter nos ad detrahendum impellit per quaſdam ambages: ita ut ſermo idem, qui ex alicujus laudibus initium duxerat, ſenſim ad ejuſdem probra dilabatur. Qui paulo moderatiores ſunt, utuntur arte, & detractiones ſpecioſis quibuſdam prætextibus colorant; zelo, æquitatis amore, miſeratione erga fratrum defectus; violento, juſtoque dolore ob contumeliam, qua Deus afficitur, ad loquendum aguntur. Numquam fictæ rationes deſunt; & ſi deſunt inimici, vel alii vituperatione digni, virtutem ipſam aggredimur, nonnumquam amicos etiam laceſſimus, dummodo detrahendi voluptate non careamus. *Idem.*

Mihi nequaquam propoſitum eſt hoc in loco vobis ob oculos ponere omnem vitii hujus turpitudinem; neque eas afferam deſcriptiones adeo horribiles, quas Sancti Patres, præſertim vero Baſilius, Chryſoſtomus, Hieronymus, & Bernardus in ſcriptis ſuis reliquerunt. Satis liquet quam grave malum ſit homini exiſtimationem auferre, quæ tanti in mundo ſit, ut nonnumquam vitæ ipſius pretio redimatur. Nemo unus ignorat, detractorem, unico linguæ ictu quodammodo occidere & abſentes, quorum nomini obtrectat, & præſentes, quibus ſcandalum infert, & ſeipſum, quoniam peccatum committit ſuapte natura mortale; patet, illum reum fieri malorum omnium, quæ virulenta ejus dicta gignere poſſunt, odiorum, inimicitiarum, litium, ultionum, cædium, qui conſueti ſunt fructus detractionis. Hæc omnia maximum peccati hujus horrorem debent immittere. *Idem.*

Detractio commune peccatum eſt, & quod pauci fugiunt.

Detractio non in corrupto tantum mundo graſſatur; pauci ſunt ex illis etiam, qui pietatem profitentur, ab hoc vitio immunes; quod ideo *Extremum diaboli laqueum* vocari poſſe S. Paulinus exiſtimat. Etenim, qui alios evitavit laqueos, in hunc tandem impingit. Abſtinebunt fortaſſe a calumniis, & ſecretam non revelabunt infamiam, ſed non unius generis eſt detractio. Detrahit, qui falſo innocenti crimen appingit, qui pro certo affirmat, quod ex incerto rumore didicit; qui ſecretum revelat ſcelus; qui etiam aliis communicat id quod ſibi fuerat revelatum. Detractio eſt in vulgus proferre factum, quod pauciſſimis erat compertum: alia detractio eſt, uni tantum committere alterius noxam, niſi neceſſitas adſit, vel gravis aliqua urgeat ratio. Si de ſcelere agitur, quod jam notum eſt, peccari etiam poteſt, ſi amplificetur; vel addendo ignotas circumſtantias, illius improbitatem augentes, vel eas rticendo, quæ facti turpitudinem poſſunt imminuere. Ad hæc nonnumquam maligne efferri poſſunt actiones, quæ extrinſecus bonæ videntur; & ſeu temerariæ ſint ſuſpiciones noſtræ, ſeu alicui innitantur fundamento, ſemper detrahit, qui illas aliis communicat. *Idem.*

Non deſunt hypocritæ pietatem ſimulantes, qui eo magis metuendi ſunt, quo callidius, & verſutius detrahunt. Videbitis homines, S. Bernardus ait, qui profunda ſuſpiria emittentes, demittentes oculos, & pallore faciem ſuam regentes flebili voce, atque veluti inviti virulentum, improbumque ſermonem ordiuntur. Jam actum eſt, dicet aliquis, hunc enim hominem amavi; nihil inauſum reliqui, ut aliam vivendi rationem ſuſciperet: verum oleum, operamque perdidi. Jampridem, inquiet alius, id intellexi, quod tibi dicturus ſum: per me non ſtetit, quo minus factum æterno obrueretur ſilentio: ſed quandoquidem alii de eo locuti ſunt, fruſtra ego tacerem: dico, & dolens dico: verum eſt illum hoc patraſſe facinus. Magnum profecto malum eſt, proſequitur adhuc, alioquin enim egregiis virtutibus præditus eſt: verum quid ſimulare prodeſt? hac in re inexcuſabilis eſt. *Idem.*

Difficultas reparandi injuriam.

Quomodo ex animis eorum, qui ſe audierunt, abolere poteris fidem, qua te vera dixiſſe putant? Quod licet conſequaris, non ideo rem expediviſti:

Quam detractio intulit proximo.

ſti: detractio, ex quo prodiit ex ore tuo per plurimorum aures peragravit: ab amicis tuis ad eos tranſiit, quos minime noſti, ab his deinde ad alios, ac rurſus alios migravit; qui quinam ſint, quærendum tibi eſt, atque adnitendum, ut te palinodiam canente, id credere deſinant, quod te referente crediderunt. Difficillimum eſt tot alloqui mortales, illis vero errorem auferre, difficilius. At ulteriora dicam; licet publicam retractationem efficeres, tibique e voto contingeret, ut malam opinionem prorſus deleres, dico, te nondum malum omne, quod peperiſti, reparaſſe. Illorum exiſtimatio, quibus numquam obtrectatum fuit, quemdam habet florem, quem & aufert detractio, & retractatio reparare non valet. Ex quo ſuborta ſuſpicio eſt, aliquem vel parum honeſtum eſſe, vel fidelem parum, quamvis id aſſequaris, ut omnibus illius probetur integritas; in eorum tamen animis neſcio quædam remanet impreſſio, quæ efficit, ut minus ut olim, bene audiat. Virtus illius minus nitet, & qui ſemel accuſatus fuit, omnino ab omni reprehenſione immunis eſſe non poſſe videtur. *Idem*.

Hic eſt ſpiritus detractionis, ſpiritus invidię, qui omnia deformat, optime confirmatam exiſtimationem, merita ſatis comperta, & explorata, vivendi rationem ab omnibus probatam, atque ab omni ſuſpicione remotam. Quot mortales ex omni genere, & conditione in hoc delicias, ac voluptatem conſtituunt, neque alia norunt oblectamenta, niſi quæ detractionis ſeſe condiuntur? Cætera alloquia ſeu ad pietatem pertinent, ſeu curioſitatem non cient; & niſi verſetur ſermo circa aliorum defectus, & vitia, niſi aliquantulum detractionis interſit, nullius ſaporis ſunt, & prorſus languent. Ita meritis accenſetur, & acris ingenii caracter ducitur venuſte aliorum exiſtimationem laceſſere, lepide hiſtoriam nefarii amoris narrare, ſalibus aliquem perfricare, laudes ſimul & probra immiſcere, ut color quidam, & veriſimilitudo acceſſat calumniæ. Etenim quod in detractione placet, & quæritur, veritas eſt; neque voluptatem afferunt dicta niſi vera, & ab omni ſimulatione ſemota videantur; quamobrem nihil prætermittitur, ut hac in re audientium animi occupentur, qui cum plerumque male affecti ſint, & tantum ſæpe, quantum qui loquitur, facile credunt quæ ſibi dicuntur, dummodo aliqua, vel levis adſit ſpecies veritatis. *De Sancto Germano Sermone hujus argumenti*.

Non deſunt nonnulli, qui ſibi jus eſſe putant detrahendi.

Non deſunt, qui ſe jure detrahere putant, ut improbi cognoſcantur, eoſque digito oſtendere non ſecus ac præcipitia, ut quilibet ab illis ubi quam diligentiſſime caveat; & ſub hoc prætextu nullius parcitur exiſtimationi, & bonorum etiam virorum famę labes offunditur . . . . . . Hæc autem animi ægritudo, Sanctus Hieronymus ait, ita hominum mentes pervaſit, ut illi etiam qui in cæteris omni culpa vacant, in hanc turpiſſime ruant. Etenim diceres, Sanctus hic Pater ait, eos ex quo aliquis irreprehenſibilis eſt, & frugi, ex quo mulier pietatem colit, & apud omnes bene audit, ſtatim jure ſuo aliorum vitam cenſoria nota perſtringere; ſi vel minimus deprehendatur error, palam oſtendere curam, qua illum in lucem proferre, aliiſque cognoſcendum tradere ſatagunt; ſi quæ infidelitas, vel ſecreta adſit iniquitas, opus eſſe, de hac ſtatim omnes certiores fieri: omnia detegi, omnia publicari: minimos etiam defectus corripi, & hæc omnia ex charitatis principio dici ſimul, & fieri. *Idem*.

Videndum eſt quid detractio faciat, ut ſuam celet improbitatem, & hac in re Auditorum animos prævertat, modo per illius, qui lædendus eſt, encomia, modo per fictam miſerationem, fucatam amicitiam, adfectatam charitatem, quæ nonniſi ægre loquitur, & invita. Homo hic ſane, in paucis honeſtus eſt, officioſus, liberalis; verum dolendum eſt, quod hæc illi infirmitas adſit. Fatendum eſt: nihil eſt meritis hujus fœminæ par: acri pollet ingenio, incomparabilis ejus probitas eſt, charitas non vulgaris, & niſi neſcio quo teneretur amore, merita illius omnibus eſſent numeris abſoluta. Magiſtratus ille præclara fruitur exiſtimatione, nec immerito: verum in hoc mundo perfectus eſt nemo: ipſe quoque non ſecus ac alii ſuas habet infirmitates . . . . . Tibi equidem hanc rem, dicunt, aperiam; verumtamen hac conditione, ut nemini dicas, atque inter me, ac te tantum permaneat. Non enim viro huic dedecus afferendum eſt; charitas exercenda eſt, atque illius exiſtimationi conſulendum. Crudele artificium! præcautio ridicula, S. Chryſoſtomus inquit; vis, eos, quibus aliena detegis vitia, aliorum exiſtimationi conſulere, tu vero eidem non conſulis? Quamquam ſibi integrum fuiſſet ſecretum ſervare vel ſecus, tu illud non ſervaſti, & eos, quibus illud aperuiſti, ſervaturos putas? Illi omnibus garrient in auriculam; & fortaſſe hæc eſt voluntas tua; tu vulnus aperuiſti, nec illud ad cicatricem revocabis: tua poſitum erat in poteſtate malum prævertere; eidem vero mederi, non eſt. *Idem*.

Detractor ſæpe aliquam virtutem laudat, mox vitia vituperaturus.

Hæc quoque improba detrahentis eſt ars, alicujus virtutes laudibus celebrare, ut locum ſibi faciat vitiis, atque defectibus vituperandis. Magiſtratus exempli gratia integritatem commendabit, palam incorruptum eſſe affirmabis; non auro, non precibus, non gratia impelli poſſe, ut vel minimam injuſtitiam committat; verum ſimul conqueretur de illius tarditate, & negligentia veluti habituali, qua negotia ita producit, ut illi qui apud ipſum lite contendunt, ad pauperiem redigantur. Laudabit in Eccleſiaſtico zelum, quem vituperare non poteſt; in muliere domeſticæ rei curam, quam diffiteri nequit; verum ſimul improbas ſuſpiciones effundet in Eccleſiaſtici illius integritatem, quem avarum putat, & in mulieris illius verecundiam, cujus abditos defectus profert in lucem. *Ex Morali Dictionario, Sermone primo*.

Aliæ detractionis artes.

Detractores ſæpe nihil niſi aliqua æquivoca proferunt verba, ut alii malum reipſa deterius eſſe ſuſpicentur; os ad riſum compoſitum, oculi nictatio eſt quædam commentarii ſpecies in ea verba, quæ ambigue non ſine dolo dixere. Detractionem quodam miſerationis contegunt fuco; eorum præfatio ſemper elogium continet; diceres, eos miſereri illorum, quos accuſant, collacrymari eos, quos perdere feſtinant, atque ut ſummi viri hujus ſæculi utar teſtimonio, ut charitatem exercere credantur, eodem tempore, quo cladem inferunt, neminem cædunt, niſi prius funebri laudatione ei parentaverint. *Idem*.

Quinam vobis videntur eſſe illi, qui alienæ detractionis crimine adſtricti ſunt? Vos eſtis, quibus cum facultas ſit, ſilentium illis indicendi, ſilentio veſtro, ignavaque indulgentia eos vobis placere teſtamini. Vos, qui nimia credulitate aures adhibetis, & corda aperitis improbis detractionibus, contra quas, religione, & honore impellentibus, invehi deberetis. Vos, qui ejus, qui loquebatur, locum vindicantes nefariam habetis pruriginem detegendi, quod vobis fuerat commiſſum. Vos, qui per impatientiam effutiendi, quod imprudenter vobis creditum fuerat, & ipſi detrahitis. Si ſapientes eſſetis, probrum illud, quod audiſtis, labi, ac intermori ſineretis; illud æterna oblivione obrueretis, ſaltem nemini illud diceretis; hoc pacto de proximo veſtro bene merentes quod nihil eidem contumelioſum profertis, & hanc etiam erga vos ipſos prudentem charitatem exercentes, quod voſmet in diſcrimen nequaquam adducitis alienæ improbitatis participes efficiendi. *Idem*.

Detrahentes plerumque Dei gloriam & publicā prætexunt utilitatem.

Mirum! ſi callidiſſimis detractoribus fides adhibeatur, non odium, non invidia, non ſuperbia, non infirmitas aliqua eos ad loquendum impellit, ſed gloria Dei, honor Eccleſiæ, privata, & publica utilitas. Ex eorum ſententia, ut peccatores reſipiſcant, mœror illis afferendus eſt; & cum monita, quę illis præbentur, ſunt inutilia, opus eſt eos, quales revera ſunt, aliis tradere cognoſcendos. Sub hoc ſpecioſo prætextu, nulla eſt exiſtimatio, quæ non lædatur, nulla infirmitas, quæ non proferatur, nullum vitium, quod per omnium aures non traducatur. Illi ipſi, qui extrinſecus religioſi, ac virtute præ cæteris ornati videntur, primi nonnumquam ſunt, qui periculoſam hanc ſibi vendicent facultatem, S. Hieronymus inquit. Statim ac homo frugi eſt, & mulier devota, ac in vitę ſuę ratione irreprehenſibilis, jus ſibi comparaſſe videntur aliorum mores cenſoria nota caſtigandi. Si quis labitur, ſi in infidelitatem, vel ſecretam aliquam decidit injuſtitiam, ſtatim hoc omnes norunt, ab omnibus monſtratur digito, & minimi etiam illius defectus evulgantur. Hæc autem omnia ex Religionis, & charitatis principio fieri dicuntur, pro bono Eccleſiæ, & eorum utilitate, quorum vitia deteguntur. *Idem ſermone ſecundo*.

Obliti eſtis vos millies accuſaſſe alios dè iiſdem ſceleribus, quę in vobis levia, ac venia digna exi-

ſti-

ſtimaſtis. Vultis vobis parci, aliis parcere detrectantes. Ad ea, quæ vos lædunt, attenti, ea, quæ ad alios pertinent, nullo in diſcrimine habetis; de honoris ſumma ſolliciti ne minimum quidem vulnus ferre poteſtis; & vulnera, quæ lingua veſtra aliis infligit, vos minime movent. Vocula inofficioſius in vos prolata vos ita provocat ad iracundiam, ut quidquid fiat ſatisfaciendi gratia, numquam iras ponere velitis; & ubi proximum læditis, vultis illum levibus, ac perfunctoriis imprudentiæ veſtræ excuſationibus acquieſcere. Fruſtra dicunt, verbum ſibi temere excidiſſe, ne cogitantibus quidem; ſtatim quippe redditis, illis fuiſſe cogitandum, & non ideo minori vos affectos fuiſſe contumelia. Voſmetipſos hac eadem menſura metiamini, neque duplex adhibeatis pondus, duplicemque menſuram, quæ a Spiritu ſancto reprobatur. *Idem*.

Detrahentium injuſtitia, qui actiones omnes in lævam partem interpretantur.

Mirum detrahentium artificium, S. Baſilius inquit! Reticent ea, quæ in alicujus laudem cedunt, ut ea tantum expromant, quæ illi contemptum conflare poſſunt. Illum ex altera tantum parte, & ut ita dicam per illius extrema ſolum oſtendunt. Exhibent illum ex eo tantum latere, ubi virtutem inter ac vitium parum diſcriminis intercedit. Aliquidne ineſt temeritati, quod ad fortitudinem accedat? Puſillanimitatis, & ignaviæ confinia ſuntne moderationi, & lenitati contermina? tamquam temerarios, & audaces oſtendunt eos, qui ſtrenui, ac fortes eſſent habendi; & veluti ignavos, ac puſillanimes exhibent eos, qui tamquam mites, ac moderati eſſent celebrandi. Charitas vitium quidem celat, virtutem vero palam oſtendit; detractio e contra virtutem abſcondit, & vitium revelat. *Idem in Conſiderationibus in hoc argumentum*.

Comparatio Detractionis cum furto.

Vulgo dici ſolet, ſi nulli eſſent, qui abſconderent furta, nullos fures futuros; at æquiori jure in Chriſtiana morali dicere poſſumus, ſi nulli aures libenter prębent detrahentibus proximo ſuo; nullum fortaſſe detractorem futurum. In furto abominabile adeſt commercium, ubi alii ſeu vi, ſeu dolo aliena auferunt bona, & alii ablata recipiunt, ac diſtrahunt. In detractione quoque turpe adeſt commercium, ubi alii proximi famam proſcindunt, alii vero, quæ audierunt, narrant, atque promulgant. In furto abſcondita eſt injuſtitia ubi fures, & conſcii præter propter æque nocentes ſunt: in detractione altera eſt injuſtitia, ubi auctores æque, & approbatores æquali fere ſunt crimine adſtricti. Denique ſecundum humanas leges pari pœna puniuntur, & qui furantur, & qui furta diſtribuunt; & ſecundum divinas in illos qui detrahunt, & qui eos audiunt libenter, adeo ſevere animadvertitur, ut facile nequaquam ſit ſtatuere utri graviori pœna puniantur illine, qui alienæ obtrectant exiſtimationi, an qui prebent aurem obtrectantibus: *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facile dixerim. Joly ſermone de Detractione pro undecima poſt Pentecoſten Dominica*.

Detractionem audiens peccas, quia vel per incuriam, vel per voluptatem detractioni aditum aperis. Ideo in terris adeo communis, ac familiaris detractio eſt, quia illius auctores non corripiuntur. Si illis valide adverſaremur, ſi tantum nobis eſſet zeli, ut poteſtatem habentes, illos corriperemus, vel mœrore vel auſteritate teſtaremur, pravis eorum ſermonibus ſcandalum nobis inferri; quamprimum hæc maledicta ceſſarent, vel ſaltem non eum haberent progreſſum, atque perpetuitatem, quam habent. Si tibi tantum pectoris eſſet, animique, ut his humanæ ſocietatis peſtibus id diceres, quod olim Sanctus Chryſoſtomus: Habetis ne aliquem, quem laudibus condecoretis, libenter vos audiam; aliquem eſtis vituperaturi, aures meas obſtruam: utrum hic fœnerator ſit, nec ne, quid ad me? utrum mulier illa pudica ſit, an ſecus, quid ad me? ea tantum peccata, de quibus rationem reddituri eſtis Deo, vobis negotium faceſſant; ſcrutamini potius vitia veſtra, ut ea corrigatis, quam aliena, ut vituperetis: cogitate quid vobis deſit, quid domi veſtræ fiat, potiuſquam improbe exploretis, quid fiat alienæ. Si tibi, inquam, ut Sancto Chryſoſtomo, tantum animi eſſet, ut hoc pacto detractores alloquereris, cum eodem credo, eos pauciſſimos in mundo futuros; & homines hujuſmodi inquietos, & periculoſos, ubi ſe contemptos ac ejectos viderent, pravum hunc habitum tandem eſſe relicturos. *Idem*.

Patres, ut oſtendant quot mala pariat detractio, pluribus utuntur ſimilitudinibus; alii eam igni comparant, veneno alii, alii viperis, atque ſerpentibus. Detractio omnia igni corrumpit; plurimam parit vaſtitatem, & ad inſtar furentis illius elementi nulli rei parcit: ſummos æque, ac imos aggreditur, & ſi flamma neque Templa, neque Principum palatia reveretur, nihilo majorem adhibet reverentiam detractio, Sacræ Perſonæ, & qui in ſublimiorum dignitatum apice conſtituti ſunt, illam evitare non poſſunt. Virus eſt omnia inficiens, omnia corrumpens, nulli rei parcens, eo uſque ut a Sancto Jacobo, *Univerſitas iniquitatis* vocetur: Jacobi 3. Adeo verum eſt, detractionem peſtem eſſe, quæ quocumque obrepit, & quocumque corruptionem immittit. *Specimen ſermonum pro Dominicis, Dominica Quadrageſimæ tertia*.

Quam pretioſa ſit exiſtimatio, quam nobis aufert detractio.

Divitiæ, voluptates, honores, dignitates amittuntur in morte, ſed exiſtimatio in hoc naufragio, in quo humana quælibet nobis intereunt, viget immortalis. Nobis incolumem ſervat vitæ partem, quam, ut ita dicam, eripit morti, & hæc, ut vetus quidam Pater ait, *Sola eſt poſſeſſio mortuorum*. Ita Spiritus Sanctus etiam, atque etiam nobis commendat, ut illius quam diligentiſſime curam geramus: *Curam habe de bono nomine*; & Sanctus Paulus Apoſtolus rebus in omnibus adeo humilis, non ſe extollit, niſi ut tueatur exiſtimationem ſuam, quæ ad Apoſtolatus ſui munera uberiori cum fructu obeunda ipſi erant neceſſaria. Omnes iſtæ rationes, quæ nobis oſtendunt præſtantiam boni exiſtimationi noſtræ adhærentis, detractionis enormitatem aperiunt. Quo autem in pretio ab hominibus honor ſemper habitus fuit, quandoquidem ad illum tuendum, & acquirendum adeo frequenter vitam ſuam in diſcrimen objecerunt, & ſibi hanc veluti inevitabilem legem irrogarunt hujus potius amittendæ, quam ſe illius periculo objiciendi. Ita dici poteſt detractor quamdam homicidii ſpeciem committere. *Ibidem Tomo ſecundo pro tertia poſt Pentecoſten Dominica*.

Humani ſpiritus nequitia efficit, ut retractationes habeantur tamquam ſatisfactiones a Religione irrogatæ, quæ, tantum abeſt, quod contumelioſas deleant ideas, quas illevit detractio, ut illas inſtaurent. Cæterum detractionis virus ſeſe celeriter adeo effundit, ut afferri nullo modo poſſit medicina iis omnibus, qui eodem fuerunt imbuti. Ita vulnera proximi exiſtimationi inflicta, numquam fere curantur. Perſona illa, cujus nomini labem effudiſti: ſemper animo recurrit eadem coinquinata labe, quam illi per detractionem adſperſiſti: ita ut poſtquam omnes exercueris conatus, ut malum, quod peperiſti, reparares, nihil de illius gravitate deceſſerit. Hæc ſcintilla eſt infernalis ſpiritus afflatu agitata, quæ incendium excitat non ita facile extinguendum, & cujus flammæ ſeſe quoquo verſum effundunt tunc etiam, cum deplorabiles ejus effectus cum dolore ſpectamus. Quæ cum ita ſint, mirum non eſt, quod peccatum hoc committatur omnibus in locis, ab omni perſonarum genere, qualibet hora, quin fortaſſe ad id animus advertatur, & quin aliquis illud ſaltem reparare contendant? *Idem*.

Praxis S. Ambroſii.

Meminerimus quid facere conſueverit S. Ambroſius, qui cum fratrem haberet vita ipſa chariorem, cum illo pactus eſt, numquam ſibi ultro citroque revelaturos quidquam, quod alterius officeret exiſtimationi: *Erant nobis omnia communia, ſolum de vitio proximorum non erat commune ſecretum*. Sed heu! hodierna die, ſtatim ac alicujus vitia, vel defectus detecti fuerunt, illico amico alicui narrantur, qui ſtatim in alterius amici auriculam hoc idem garrit, ita ut defectus, qui tamquam ſecretum aliquid caute aperiuntur in publicum rumorem evadunt. *Auctor Anonymus*.

Videtur nonnumquam devotio detractionis eſſe cauſa in iis, qui pietatem profitentur. Si loquimur, inquiunt, ideo loquimur, quia divinæ gloriæ zelus nos agit. Si tacemus, homo hic in idem facinus haud ægre relabetur. Eheu, pietas nefaria, quæ unicum prohibet conata crimen, quod fortaſſe crimen non erit, cauſa eſt propter quam plura re ipſa peccata patrentur. Proh zelum imprudentiſſimum, vel potius funeſtum dæmonis prætextum, qui hac ratione homines perdere conatur, cum id alia quælibet ratione nequeat efficere. Si veram habes charitatem erga hominem hunc, cur illum non convenis, eumque ſuaviter corrigis, vel cur certiores non facis eos, qui medicinam poſſunt adhibere, potiuſquam illius defectus buccina clangas apud eos, qui malum augent, peccatum omnibus, qui

in

in urbe adſunt, enarrantes? Fatere potius, dæmonem, ne hoc vitium relinquas, illud in animo tuo tamquam virtutis actum exhibere; vel ſi vere noſti hoc ſcelus eſſe, quomodo illud conciliare potes cum ea pietate, quam aperte profiteris? *Biroat Sermone ſecundo pro tertia Quadrageſimæ Dominica.*

Ejuſdem argumenti.

Hoc ſæculo adinventa eſt ars de proximo detrahendi eo pernicioſior, quominus ab eadem ſibi cavent mortales. Excogitata eſt ratio alienam proſcindendi exiſtimationem non quidem violentis furoribus, ſed ſanctis inſtitutis, intentionibus, quæ in ſpeciem laudabiles ſunt, & falſo Divinæ gloriæ zelo. Hominibus hujuſmodi fides abroganda eſt inquiunt; vitium non eſt relinquendum inter eas tenebras, quibus involutum eſt: divinæ gloriæ poſtulat ratio, ut in publicum proferatur. Hoc ſibi religioni maxime vertunt, & quamvis pleruinque neſciant quid dicant, facta comminiſcuntur, exaggerant; vel ea dimidiata dumtaxat proferuntur; generale cum particulari confunditur, additur interpretatio, judicium, diſceptatio, eaque omnia ex quodam divinæ gloriæ principio; eo enim uſque abuſus evaſit. Eheu! ſi in pœnitentiæ ſpiritu ad trutinam revocaremus, abditas intentiones omnes, quas habuiſſemus aliorum exiſtimationem imminuentes; quænam eſſet noſtra confeſſio? Proh Deus, cum cordis contritione diceremus, non lex tua quidem nos ad detrahendum compulit: nos prævaricatores ſumus, qui detractionibus noſtris gloriam tuam prætexere auſi ſumus. *In ſermonibus editis ſub nomine P. Bourdalove pro feria ſecunda majoris hebdomadæ.*

Quid quotidie parit ſecretas inimicitias, quæ ad honoris ſummam rediguntur? Quid cruenta gignit prælia divinis, humaniſque legibus vetita, niſi imprudentia linguæ maledicæ, ex qua pœnas repoſcere læſus cupit? Numquid vobis incederet ſi in hiſtoriæ noſtræ decurſu videretis fluvios effuſo ſanguine purpureos, idque ob unicam detractionis vocem? Quid non efficit hæc obtrectatio, cum ſeſe effundit in Satyras, & Opera Poetarum, quæ non aliud profecto præter dæmonem nacta ſunt inventorem? Integra elabuntur ſæcula in detractione, & poſt ſexcentas reconciliationes vultus adhuc fluit ſanguine, & cicatrix numquam obducitur &c. *Idem.*

Mala, quæ parit detractio.

Antequam JESUS CHRISTUS fieret Judæorum furoris objectum, jampridem erat eorum detractionis. Civitas tota, totaque Provincia de eodem variis diſtinebantur ſententiis; ubique aperti erant inimici, neque deerant alicubi patroni. Sed heu! patroni pavidi, ac nutantes, quorum vox ſuffocabatur impotentia Judæorum cor tumidum, & obduratum habentium. Si JESUS CHRISTUS innocentiæ ſpeculum, & perfectionis exemplar detractionem non potuit effugere, quomodo illius Diſcipuli, Apoſtoli, & ſervi ſe eidem nequaquam obnoxios futuros arbitrentur? Quicumque contra illum loquebantur, ſimiliter erant affecti, verum non omnes iiſdem innitebantur principiis. Scribas quidem, & Phariſæos agebat invidia, ut perſpicua JESU CHRISTI miracula imminuerent, & præclaris ejuſdem actionibus maculam adſpergerent; populum trahebant prava Phariſæorum exempla, a quibus fuerat deceptus. Ecce quænam fuerit eorum detractio, & nefaria cenſura de ſacra JESU CHRISTI perſona. *Auctor Anonymus.*

Quomodo ferre non poſſumus, ut vel parum nomini noſtro obtrectetur.

Perpendite, o fideles, quantopere vos ad iracundiam excitent ea, quæ vobis ingeruntur maledicta: Si unicum in vos inofficioſum verbum proferatur, quinam eſt cordis veſtri ſenſus? Quo vocis tono in omnigenam linguarum improbitatem invehimini, exaggerantes quod vobis damnum infertur, & quæ vobis juſta reparatio debeatur? Quo uſque jura veſtra, & querimoniam protenditis? Fruſtra ſibi dicet aliquis verbum imprudenti, & ne cogitanti quidem elapſum, vel ſe non eſſe illius rumoris auctorem, vel tandem nihil a veritate diſſonum dictum fuiſſe; quo enim loco has omnes inanes excuſationes habebitis? Hoc non cogitabam, inquies? Nonne id cogitare tenebaris? Tu auctor non es? Nonne ſatis hoc a te dictum? At enim nihil niſi clanculum dixi, & prudentibus hominibus: verum quis tibi pollicitus eſt futurum, ut homines illi te eſſent prudentiores? Demum dicis, nihil non verum protuli: At velleſne omnia de te dici, quæ vera ſunt? Hæc idea eſt, quam de detractione habemus, cum ejus nomine corripimur: ubi res agitur noſtra, ſatis religioſi ſumus, ubi vero de proximi agitur gloria, tunc imprudentes ſumus, nulliſque agimus conſcientiæ ſtimulis & quidquid de aliis dicimus, cupimus excuſari. *Idem.*

Neque ſatis eſt veros proximi defectus detegere, aut damnare; ſi illi ſubirati ſumus, ſi illum odimus, ſi qua nobis cum illo ſimultas eſt, omnia in leviorem partem interpretamur, atque ex verbis, ac operibus ejus pernicioſas illationes elicimus. Illi nefaria conſilia, & noxias intentiones tribuimus, atque in ejus vitæ ratione ſatis ſuperque invenimus, quare illum ſuperbiæ, curioſitatis, diſſimulationis, hypocriſis nomine redarguamus. Tunc etiam cum in eumdem tam improbos ſenſus non fovemus, animi ægritudo non ſinit ut eoſdem foventibus adverſemur, efficitque, ut in ſpeciem probemus quidquid illi teſtantur, quamvis intrinſecus illos damnemus, atque e re nata in illos invehamur, eoſque tales exhibeamus, quales nobis ſunt viſi. *De Sancta Martha. Tomo 2. Tractatuum Aſceticorum. Tractatu de Colloquiis.*

Piorum hominum detractiones magis pericoloſæ.

Cum apud plurimos homines pietate præditos idem error percrebuit, atque ſe teneri ex conſcientia putant eumdem aliis perſuadere, eorum converſatio tunc fit maxime pericoloſus mortalibus laqueus. Opinio enim quæ de eorum virtute pervaſit, bona opera quæ ab illis fieri videntur, charitatis eorum argumenta, eorumque integritas ex altera parte plurimum ſermonibus eorum ponderis addunt, ex altera vero, ſi credunt ſe propter pietatis regulas teneri, ut aliquem aliis cognoſcendum tradant, qualem eſſe arbitrantur; tanta vi, & ardore illius exiſtimationem laceſſunt, ut nulla ferme ratione illis reſiſtere valeas. Quamobrem dici poteſt, nullos calumniatores pericoloſiores eſſe piis hominibus, qui cum vel occæcati ſint, vel facti ignorantia teneantur, in eo ſuam pietatem conſtituunt, ut illis obtrectent, quos non ſatis agnoſcunt. Zelus excæcatus eos contra Dei ſervos excitat, non ſecus ac olim Judæos contra JESUM CHRISTUM excitabat. *Idem.*

Callidæ obtrectationes.

Si reminiſci poſſes ſermonum, quos cum hominibus etiam virtute præditis miſcuiſti; intelligeres pauciſſimos eſſe, qui, cum de aliis eſt ſermo, abſtineant a detractione, ſed callida, & quæ vix, & ne vix quidem percipi poteſt. Vir ille, de Aulico loquentes inquiunt, ſcitus eſt, & politicus, cumque ſeipſum altius attollere ſtudeat, diligentius ſcrutatur affectus Principis, cui famulatur, & apud quem in pretio eſt, ut illam in ſuas pertrahat voluptates. Viro huic alioquin plurima ſunt merita: tot prælia ſuſtinuit, ubi egregiam ſibi nominis famam comparavit; tot certamina pertulit, ex quibus cum ſumma utilitate, & gloria ſemper evaſit. Opipare, lauteque veſcitur, ac plurimam ſervorum alit familiam. Jam pre cæteris competitoribus tantum præſtat, ut nihil ultra queat deſiderari; & ſi de ejuſdem fortunæ curſu judicium ferendum eſt ex ejuſdem initiis, certiſſime, & brevi ad primos gradus, ac Regni dignitates perventurus videtur. Optaret ille quidem eo meliori via adniti, verum cum in aula, in qua eſt non aliæ viæ pateant ad eumdem finem aſſequendum, id facere cogitur, quod hodierna die omnes honeſti faciunt. Singulare profecto matronæ hujus eſt meritum; ad miraculum uſque mundum novit, omnia tanta peragit cum venuſtate, ut videntibus omnibus placeat; omnibus nobilibus, honeſtiſque cœtibus intereſt: nulla fiunt ſympoſia, nullæ choreæ, quibus advocata non adſit. Paulo quidem ſuperba videtur, faſtum, & amatoria blandimenta diligit. Aufer iſta, quæ tamen frequens eſt mulierum hujus dignitatis caracter, mulierum omnium eſt optima. Abbas ille vir eſt ſpectatiſſimus; generis nobilitatem cum litterarum eruditione conjungit; talis eſt oris ejus habitus, ac vitæ ratio, ut facile in eo virtus eluceat: cæterum dici poteſt pauciſſimos eſſe in toto Regno Eccleſiaſticis auctos beneficiis, qui præ illo melius collatas a Principe gratias mereatur. Redditibus ſuis utitur egregie; menſa ejus delicata eſt, & pretioſa ſupellex; præ cæteris nitet; venuſte, & eleganter concionatur, & nonniſi præcipuos occupat ſuggeſtus. In cœtu, & ſocietate nihil illo ſuavius eſt; ita ut ſi meritis par fortuna fuerit, credo brevi ad Infulas perventurum. Inficias tamen ire non poſſumus, illum paulo nimis Mundum conſectari; verum quid? genus, & nobilitas ita vivendi illi neceſſitatem injiciunt. *In Dialogis Abbatis Joannis, & Preſbyteri Euſebii Dialogo ſecundo.*

Hominum plerique improbe eos oderunt, qui in diverſa partium ſtudia abiiſſe arbitrantur. Credunt, ſibi jus eſſe famam eorum imminuendi, ideoque nihil intentatum relinquunt; convicia, improbæ artes, atroces calumniæ, famoſi libelli hæc arma ſunt eorum, qui partes diverſas ſequuntur: quidquid eorum favet cupiditati, probatur; Diceres detractionem in illis non eſſe amplius vitium, dummodo ſuum finem conſequantur; ipſi etiam magis violenti furores meriti locum habent. Quidquid illis non placet, & ab eorum moribus diſcrepat, nullo habetur in pretio. In illis tantum mentem, virtutem, meritum, religionem eſſe volunt, qui in ipſorum partes, ac ſententiam conceſſere. *P. Croiſet Tomo ſecundo Spiritualium conſiderationum.*

In mundo facile detrahere eſt, & audire detrahentes.

Qui in mundo vivunt, ex ſtatu ſuo ſubjecti ſunt plurimis detractionibus audiendis. Curioſitas ad eas audiendas allicit, improbitas ad credendas, levitas ad diffundendas, aliiſque communicandas. Ita, ex Divi Bernardi ſententia, unica detractio plurimos perdit, & dicentem, & eam cum voluptate audientes, & eamdem evulgantes. *Eſſais de Morale. Tomo 10.*

Detractio ita familiaris effecta eſt, ut in pauciſſimis cœtibus non adſit. Ubi ſimul plures convenere, ſermo de iis fit, quæ accidunt in mundo. Hoc theatrum eſt, in quo actores ſunt homines, quorum quilibet ſuam ludit, ut novit, & poteſt, perſonam; eorumque ſtudium eſt, ut alii aliorum mores, vivendique rationem conſiderent; non quidem ut eos laudibus proſequantur; ſed e contra quemadmodum quilibet ſe attollere, ac inter cæteros eniteſcere quærit, ita non aliud quærit, niſi quo pacto dejiciat, ac deprimat eos, qui nomini ſuo poſſunt officere. Non habentibus defectus, appingunt; habentium augentur, & multiplicantur, ſine ulla religione comminiſcuntur, fabulantur. Ita quæ unquam res eſt, o Domine, quæ te cogat in homines damnationis ſententiam inferre, quam improbitas hæc, quæ illos impulit, ut de mortalibus omnibus obloquerentur, & hæc voluptas, quam nemini parentes percipiunt. *Abbas Trappenſis in Conſiderationibus moralibus in Evangelium S. Matthæi.*

Nulli ſunt nocentioris, vel deterioris notæ mortales, quam qui callide detrahunt, & coloribus abundant ut malum, quod de aliis proferunt, probari faciant, & laudes, quæ illis deferuntur, evertant; qui cum elogio vituperare norunt, ac in ſuſpicionem optimam quamlibet exiſtimationem, prout ipſis libitum fuerit, adducunt; qui officioſi videntur tunc maxime, cum perniciem afferunt; & qui non nocent, niſi cum gratificari velle videntur; qui mites ſunt, ut ſint crudeles, ſinceri, ut ſint proditores, & qui venenatas habent laudes aperta detractione deteriores. Id genus hominum non ſatis horrere poſſumus. Si neſcit homo oblíviſci contumeliæ. quæ ſibi in ipſo irarum fervore ingeritur, quomodo parcet illi, qui conſulto, & quaſi ex commentario illam depromit? *J. Pic. De filiorum educatione.*

Mulieres præ cæteris ad detrahendum pronæ.

Mulieres crebro diebus integris de alia re non loquuntur præterquam de defectibus proximi, & de iis, quæ ad alios pertinent. Sexcenta ferunt temeraria judicia, quæ ubi maturius inſpiciantur, falſa deprehenduntur; ac in ſexcentas erumpunt detractiones, quæ proximi labem offendunt. Omnia ſcire volunt, de omnibus loqui, de omnibus ferre judicium, omnia perpendere, omnibus ſe immiſcere, & non intelligunt, quod ſibi necem inferentes eas, quæ adſunt, docent curioſitatem, temeritatem, detractionem, & erga proximum nequitiam. *Auctor Anonymus.*

Sanctitas ſatis non eſt, ut nos a calumniis tueatur, & os inimicorum obſtruat. Deus non ſemper mortalium cohibet invidiam. Hæc una ex omnibus animi ægritudinibus nullo vallo coercetur; & donec in terris virtus erit, & meritum, erit etiam detractio. Virtus, quæ magis nitet, magis etiam oppugnatur, perſtringit enim oculos eorum, qui virtutibus carent, vel vulgarem tantummodo virtutem habent. Itaque qui non uſitata virtute renident, non minus ſibi contra calumnias, quam contra plauſus debent cavere. *Abbas Trappenſis in Chriſtianis Sententiis.*

SUPPLEMENTUM.

Detractio & Calumnia.

Omnes detrahunt, & ſemper detrahitur.

MOrtalium omnium crimen eſt Detractio; ignobilium, qui cum ad nobilitatem nequeant pervenire, detrahendo ulciſcuntur: eruditorum, qui eloquentiæ palmam aliis videntur præripere ubi alios ſatyrico ſale melius perfricuerint; ſcitorum hominum, qui de innocuo pœnas ſumere volunt, eo quod illorum nomen Moroſi Auctoris menti ſeſe obtulerit; matrum in cœtibus earum; Eccleſiaſticorum in conventibus; inimicorum, ut ultioni ſuæ ſatisfaciant; pſeudo amicorum, ut ſinceritatem ſuam prodant; inferiorum per invidiam; ſuperiorum per ingenium inſolens. Semper & fere ubique detrahitur. Satis eſt plures ſimul conveniſſe, ut detractio fiat panis converſationum ſuarum; quo figurato vocabulo utitur Deus apud Prophetam. In menſa epulæ quidem variant, ac panis ſemper apponitur. Plura habentur colloquia, ſed detractio communis eſt. Non ſemper verba fiunt de ſcientiis, negotiis, pietate. Si de ſcientiis incidat ſermo; hic quam primum rudis habebitur; ſi de negotiis, ille tamquam ſubdolus traducetur, ſi de pietate, non deerit, cui hypocritæ perſona affingatur. Alia vitia nonnumquam fatigant; nemini umquam tædet detractionis. *Abbas Boileau in delectis ſententiis.*

Tria in detractione eſtinguenda; illam dicere. Illam audire; illi non repugnare.

In detractione tria diſtinguenda ſunt, illam dicere, illam ab aliis dici ſinere, eique non contradicere. Illam dicere, quæ nequitia eſt? Illam ab aliis dici ſinere, quæ infirmitas? Illi non contradicere, quæ ignavia! Omnium detractionum prima facta fuit in Terreſtri Paradiſo ab antiquo ſerpente, qui vulgo *Diabolus* dicitur; hoc eſt *calumniator*, quæ vox in ſe obmurmurationem, & detractionem complectitur. Prima, quæ illum audiit libenter, Eva fuit; primus vero qui non contradixerit, Adam. Cui vero peccatum hoc acceptum referendum eſt? Non quidem ſerpenti, neque enim ſerpentis peccatum appellatur; neque primæ mortalium matri; neque enim Evæ peccatum dicitur. Quare? quia ſimplicitas, & infirmitas Sexus in cauſa fuit, ut a Serpente deciperetur. Nocentiſſima fuit tamen, cum rationis lumine uti poſſet, ut veteri huic Calumniatori reſiſteret. Sed Adæ vitio ſcelus hoc tributum fuit; ideoque Adæ peccatum vocatur, quia cum illi jus, & facultas eſſet prohibendi, & compeſcendi illud, tamen illi non contradixit. Hoc illius crimen fuit; hæc proprium illius ſcelus. *Abbas Boileau in delectis ſententiis.*

Mala quæ parit detractio.

Scriptura nobis exhibens detrahentis caracterem, hunc nobis tamquam terribilem, formidabilemque repræſentat. *Terribilis in civitate homo linguoſus*; & profecto terribilis eſt in civitate, terribilis in communitate, terribilis in privatis domibus, terribilis in magnis, terribilis in parvis. Terribilis in civitate, quia ibi ſuſcitat ſeditiones, factioneſque; in communitate, quia illius pacem, & concordiam perturbat; in privatis domibus, quia ſimultates, & inimicitias ibi fovet; in magnis, quia abutitur fide, quam habent in ſe, ad perdendum quemcumque ipſi placuerit ex ſectatoribus eorum; in parvis quia illos contra ſe ultro, citroque excitat, atque inflammat. *Terribilis homo linguoſus.* Quot familiæ petierunt ob unicam detractionem? Quot amicitiæ ſciſſæ propter unicam irriſionem? Quot corda exacerbata, ac venenata ob imprudentes relationes? Quid quotidie tot apertas parit lites, & contentiones? Nonne vox aliqua, qua aliquis ſe læſum putat, & cujus ultionem exquirit? Quid invexit tot ſingularia certamina ſapientiſſime a divinis, humaniſque legibus interdicta? Nonne fere aculeatum dictum, quod juxta mendacem Mundi honorem impune abire permittendum non eſt? *P. Bourdalove in Dominicali.*

Detractio eſt vitium ſtatuum omnium.

Quamvis alia vitia ſemper magis, quam antea latius ſe effundant; tamen non deſunt quidam ſtatus, & conditiones, quæ iiſdem immunes ſunt, ſeu per gratiam vocationis, ſeu per virtutis conatum, ſeu per occaſionum defectum, ſeu denique per quamdam ſpeciem neceſſitatis. Avaritiæ in Religioſi cor aditus obſtructus eſt; ambitio vix adhæreſcit obſcuris quibuſdam conditionibus; non deſunt in Chriſtianiſmo Virgines, fere ſine ullo labore de carnis dæmone triumphantes; detractio vero æque in omnes homines ſuum exercet imperium. Hoc ſummorum, hoc imorum vitium eſt, Principum, Populorum, Doctorum, & indoctorum. Vitium aulæ, civitatis, togæ, militiæ, juniorum atque ſeniorum. Dicamne, & quiſquam inde ſcandalum arripiet? Non ita Fratres mei; dicam enim cum omni reverentia, & cautione, qua opus eſt. Hoc eſt vitium Sacerdotum æque ac Laicorum, Regularium æque ac ſæcularium, Spiritualium, ac devotorum æque, & fortaſſe etiam magis, quam im-

impiorum. Attendite; non dixi hoc devotionis eſſe vitium; abſit: Devotio ſemper omnibus vitiis immunis eſt, & qui vel unum illi appingeret, contumeliam inferret Deo, immo etiam cultui ipſius fidem abrogaret; ſed qui devotionem profitentur, habent peccatum ſibi proprium non ſecus ac alii, & noſtis, utrum illis maxime familiaris detractio ſit: peccatum, quod animabus alioquin præ cæteris pietate præditis adhæreſcit; peccatum, quod ſæpe efficit, ut in illis moriantur omnes gratiæ, atque juſtitiæ fructus, peccatum, quod eorum mentes corrumpit, cum inter ea corpora illorum caſta permaneant; peccatum, quod triſte illius adfert naufragium, poſtquam periculoſiſſimos noxiarum cupiditatum ſcopulos ſuperaverunt; peccatum denique quod plurimos perdit devotos, & devotionem ipſam dedecorat. *Idem.*

Detractoris ignavia.

Ille, de quo loqueris, vel inimicus eſt, vel amicus, vel neuter; ſi inimicus, hinc eſt: quod odium, vel invidia te ad illi obtrectandum impellit; Et hoc apud homines etiam turpis ignavia exiſtimata fuit, atque exiſtimatur; quidquid dicere poſſis, integrum eſt, nobis nil credere, & aſſerere te laceſſitum fuiſſe; animi ægritudinem has tibi voces extorquere: ſi homo hic tuis prodeſſet negotiis, te non ita de illo eſſe oblocuturum, immo te in illo approbaturum id, quod improbe in eodem reprehendis. Ita ſane dicitur, & ſapientes qui te audiunt, furoris tui teſtes, tantum abeſt, quod inimicum tuum contemnant, ut immo contemnant te, tuamque irrideant infirmitatem. E contra vero ſi amicus tuus eſt, (cui enim parcit Detractio?) quænam ignavia eſt ita prodere amicitiæ legem, ac inſurgere adverſus illum, cui patrocinari debes; illum totius coronæ ludibrium facere, cum alibi blandiris illi; eum hinc quidem palpare, inde vero afficere contumelia! Non deſunt autem, ipſi noſtis, in quibus linguæ intemperantia huc uſque infidelitatis procedit, & qui dummodo riſum excutiant ſibi, non cuiquam parcunt amico. Verum eſt nullo in diſcrimine tibi ſit homo ille; nonne aliud turpiſſimæ ignaviæ genus eſt, illum adeo gravibus vulneribus confodere? Quoniam illum habes nullo in diſcrimine, cur illum laceſſis? Cum de te malo meritus non ſit, cur tu prior de illo malemereris? Quid egit ille, ut in ſe detractionis tuæ virus converteret? Nil tibi cum illo rixatum eſt, inquis, & nihilominus laceſſis, & vulneras illum? Quæſo aliquidne hoc turpius, & ignavius fingi poteſt? *P. Bourdalove in Dominicali.*

In quo ſita ſit obligatio aures non præbendi detrahenti.

Centies vobis dictum fuit, quicumque detractioni præbet aurem, fieri detractionis conſortem, & ſæpe nihilo deterius eſſe detractionem facere, quam pati; & aliquando fortaſſe plures a Deo damnatum iri, quia detractionem audierint, quam quia proximo obtrectaverint. Scirene vultis cuinam rei fortaſſe innitatur hæc obligatio? Potiſſimum nititur detractoris ignaviæ; quia ſicuti ſemper de abſentibus maledicit, Providentiæ munus fuit efficere, ut abſentes contra malum adeo pernicioſum præmunirentur. Huic autem rei ſapientiſſime a Domino conſultum fuit per hanc legem charitatis, qua prohibemur adhærere detractioni, & jubemur illam vel ſilentio noſtro damnare, aut verbis refellere, aut auctoritate coercere; ita ut ſi quis me coram proximi honorem eſſecerit contumelia, me ipſum exiſtimare debeam tamquam hominem deputatum a Deo ad illum tuendum: tanti momenti eſt hæc, quam Deus nobis commiſit, provincia. Detractor ignavus eſt; opus eſt ut chriſtianam præſeferamus firmitatem, & charitas in nobis totidem patronos inveniat; alioquin nobis ratio erit reddenda illius detrimenti, quod inde proximus paſſurus eſt. *Idem.*

Nihil adeo difficile eſt & tam neceſſarium quam reparare injuriam per detractionem proximo factam.

Audiſtis plurimos detrahentes: audiſtiſne aliquem de detractionibus ſuis palinodiam canentem? Hic defectus eſt Chriſtianiſmi; fateor, verum quia palam in diſcrimen ſalus adducitur, ubi hoc non adimpletur officium, magni quidem inveniantur, oportet, obices ut rite adimpleatur: Obices ſane, qui ſontem non excuſant, & probant detractionis crudelitatem. Etenim vos qui detrahitis, quomodone ferre poteritis veſtrum ruborem, ad viri, vel mulieris hujus honorem reparandum? Agnoſcitis periculum, in quo eſtis ut habeamini mendaces, invidi, improbi, & fortaſſe etiam aliquid deterius; ut in voſmet convertatis omnia hominum probra. Palinodiam canere eſt, voſmet ipſos accuſare plurimarum rerum, quæ vobis pudorem deberent immittere: attamen hoc pretio vobis eſt recinenda, alioquin nulla eſt abſolutio, nulla ſalus. Quam ingredimini vitam, ut, errorem auferatis ab illis, qui vos detrahentes audivere? Apud quot mortalium capita, & quot in locis ille, cui atræ loliginis fucum alleviſtis, deformis videtur? Si vobis tantum iteneris faciendum eſt, quantum veſtra obiit detractio, non tam cito terminum aſſequemini: attamen nulla ad id vobis cura prætermittenda eſt; & ſi veremini ne vulnus exaſperetis potius quam revocetis ad cicatricem, quot opus erit præcautionibus, ſollicitudinibus, difficultatibus! Et ſi detractio veſtra exitus funeſtos peperiſſet, odia, lites, temporalium bonorum jacturas: Si Mercator fide caret; Si Orator clientibus deſtitutus eſt; ſi Magiſtratus auctoritatis paſſus eſt detrimentum; ſi Virgo non habet, cui nubat; ſi Uxor a viro diſſentit; ſi Eccleſiaſticus, & Regularis nequit ultra officii ſui munera obire, hæc mala ſunt, quorum rationem eſtis reddituri; & quibus ideo pro viribus a vobis adhibenda eſt medicina. Theologia hæc manifeſta eſt: hæc morum diſciplina eſt certiſſima, munus hoc ineluctabile. *P. la Peſſe Sermone de Detractione.*

Detractorem Deus, & homines oderunt.

Detractor odio eſt, & cui? Deo ſimul, & hominibus. Deo, qui eſſentialiter amor, & Charitas eſt, & qui ideo eſſentialem habere debet oppoſitionem detractioni; quia detractio internecinus eſt charitatis inimicus: Hominibus, quibus juxta oraculum Spiritus Sancti, detractor eſt abominatio. Et ſane quid odioſius eſt homine, cujus cenſuræ omnia patent; cujus tela nemo cujuſcumque conditionis ille ſit, evadere poteſt, & cujus latratibus ne ipſæ quidem poteſtates eſſe poſſunt immunes. Quid odioſius tribunali, quod privata auctoritate conſtitutum eſt, ubi de mortalium merito ad arbitrium diſceptatur; ubi hic talis declaratur, qualem hunc haberi libido fert? ubi ille nonnumquam æterna notatur infamia, quæ numquam ſit impoſterum eluenda; ubi omnes ſuam recipiunt ſententiam ſine ullo diſcrimine, ac miſeratione irrogatam. *P. Bourdalove in Dominicali.*

Barbara, detrahentium crudelitas, Horum imago a Rege Propheta adornata.

Voluptas, quam priſci in Gladiatorum certaminibus recipiebant, damnata fuit a Sanctis Patribus, qui illis exprobarunt barbaram hanc voluptatem, quam ipſa horrebat natura. Sed qui detrahunt proximo ſuo numquid minus crudeles ſunt, & minus nocentes? Sanguinem quidem non effundunt, neque illis auferunt vitam: ſed honorem, quem aggrediuntur, nonne ſanguine, & vita ipſa charior eſt? Hæc detrahendi voluptas fluit etiam ex fonte corruptiore, ac turpiorem gerit improbitatis caracterem. Hi ſpectatores, quos jure ſuo Sancti Patres inhumanos vocabant, in præliis ejuſmodi vivam belli intuebantur imaginem, ubi alii vulnera inferebant, alii propulſabant. Incertus certaminis exitus eorum animos incertos tenebant, uter victoriam eſſet relaturus. Victoria penes illum erat, cui plus erat animi, virium, dexteritatis, & nonnumquam gloriæ ſibi vertebat parcere vitæ duorum Athletarum. Hoc autem detractioni non accidit. Satis non eſt fratris ſui cruorem effuſum intueri; illi honor eripitur, quem hominis ſanguinem defæcatiorem Sanctus Chryſoſtomus appellat. Improbi detractores, in hoc certamine eſtis, Leones, Tigrides, Urſi, qui eum diſcerpitis; ſerpentes, aſpides, qui illum pungitis, atque mordetis. Prophetam David interrogate, dicet vobis improbum cor veſtrum dentibus detractionis lancinare proximum, & linguam veſtram eſſe gladium ancipitem, quo illum confoditis. Quænam certaminis ſpecies, quam ignava, quam odioſa! Si inde aliqua refertur victoria, hæc non in eam inclinat partem, qua virtus pugnat, ſed qua improbitas, & perfidia digladiantur. Hoſtem aggredi eo tempore, quo vim vi propulſare non poteſt; ignave detractionis virus effundere in cœtu, ubi inimici abſentia, ac ſilentio eorum abutitur, qui abſentem impune lædi patiuntur, quid indignius? Nulla umquam, ex Sancti Auguſtini Sententia, ita ad vivum imago propoſita fuit, ut illa, quam de detractore nobis David Propheta relinquit. Quocumque ingreditur, circumſpicit, quærit, ſcrutatur; nihil inquietam illius fallit curioſitatem. In Cœtum venit ut aliorum quidem aſperitatem, aliorum vero nimiam familiaritatem obſervet; ut in frigido ſilentio audiat, quidquid fit, ac dicitur, ut eorum omnium, quæ illi mala viſa fuerint, congerat, & agnoſcat infortunia, quæ acciderunt illis, & injuſtitias, quas vel fecerunt, vel paſſi ſunt. *Abbas Boileau in Quadrageſima.*

Inanes cauſæ, quæ prætexuntur, ne detractionis malum ſarciatur.

Arbitramur nos nequaquam teneri ad reparandam detractionem, quia illius primi Auctores non ſumus; ſed in ea re, ubi charitas lædebatur, numquid aliena enarratio nobis erat cautio ſecura? Vellemus ipſi ſecundum aliorum fidem de nobis promiſcue credi, quidquid dicitur? Peccatum poteſtne eſſe excuſatio alterius peccati? Et judicium temere factum quod ſuapte natura malum eſt, diſpenſaretne a ſeparatione alterius mali, quod eſt detractio? Contendimus, rumorem, qui paſſim percrebuerat, rem ſatis evulgaſſe: at nonne communis iſte rumor, Tertullianus ajebat, ſingulis diebus teterrima evulgat mendacia, eaque in mundum effundit eodem eventu, quo conſtantiſſimas veritates? Nonne communis hujus rumoris caracter eſt, nonniſi, cum imponit, ſubſiſtere, & ubi imponere ceſſat, evaneſcere? *Nonne hoc eſt famæ conditio, ut nonniſi cum mentitur, perſeveret?* (*Tertull.*) Tamen ſequebatur ille, ſola hæc fama nobis objicitur cujus auctoritate nituntur, ne quod probamus intelligant. *Hæc tamen profertur in nos ſola teſtis.* (*Idem.*) At mirum eſſet, ſi res adeo inanis adeo ſanctam obligationem poſſet evertere. Verum quod in hujus opprobrium a me dictum eſt, nihil aliud eſt quam ſecretum, quod illi tuto me committere poſſe arbitratus ſum: Hic eſt, fratres, reſpondet S. Ambroſius, ſcopulus Charitatis; ſecretum eſt amico meo creditum; quaſi tibi integrum eſſet me de bona amici tui exiſtimatione dejicere, mihique apud illum bonum nomen auferre; quaſi quia tuus eſt amicus, minor mihi fieret contumelia, ſi apud illum nulla mihi eſſe deberet honeſtatis meæ cura; quaſi quem amicum vocat, & ipſe alios non haberet amicos, quibus idem ſecretum committeret; quaſi detractionis ſecretum, illius improbitatem non modo non imminueret, verum etiam augeret in quodam ſenſu; quia hoc ſecretum ipſum mihi modum aufert me ipſum excuſandi coram amico. *P. Bourdalove in Dominicali.*

Detractio ſilentii.

Non deeſt quædam tacita detractio. Satis callidi ſumus, ut detrahamus quin obloquamur, quin ne verbum quidem proferamus. Geſtus adfectatus, ſimulatus riſus, tacendi pertinacia, cum quis laudatur, dimidiata approbatio, quæ complacendi ſtudio partem alteram videtur concedere, alteram vero per charitatem reticere, nictus, capitis motus, ſuſpirium, labiorum percuſſio, & contractio tamquam ad prohibendum ne detractio egrediatur, diceres eam illic morari, & tunc ſenſus ſuos diſertiſſime expromere. Diceres, charitatem, vel chriſtianam prudentiam vetare, ne loquatur; ſed hæc nimia eſt nequitiæ ſubtilitas. Oculi detrahunt, facies detrahit. Situs mutatio, vocis inflexio cum lingua detractoris conjuncta, detrahet; omnia in illius perſona loquuntur. *Abbas Boileau in delectis ſententiis.*

Detrahentis deſcriptio.

Gaudet detractor familiarum negotia, domeſticas diſſenſiones, negotiationum, vel neceſſitudinum nexus cognoſcere. Hic eſt repertorium eorum, quæ acciderunt; vivens Commentarius in quo deſcriptæ ſunt lites uxorum cum viris ſuis; ſociorum infidelitates; conſanguineorum, & accolarum invidiæ; hic eſt, ut cum S. Ephrem loquar, (**D. Ephrem de mala lingua.**) publica ſentina, quæ totius civitatis ſordibus repletur; vultur errans, qui fœtidis cadaveribus paſcitur: *Cor ejus congregavit iniquitatem ſibi.* (*Pſal. 40.*) At ubi malum aliquod detexit hoc adeo grave eſt illius cordi, ut ille jugularetur, niſi ſtatim evomeret. Quærit ubicumque aures, a quibus audiatur; aliis narrat petens antea, ut ſecreti fides ſervetur, ſeu ad irritandam inſanam pruriginem ſciendi, quod oblivioni dandum eſſet, ſeu ad captandam voluptatem, qua, ſi ipſe ſolus id omnibus in aurem ſuſurraverit, perfundendus eſt: beatus, ut videtur, ſi eos invenerit, qui augere poſſint objecta, vel explicare negotiis alicujus nodos, ac ſibimet viciſſim ultro citroque improbitatem effundere. *Abbas Boileau in Quadrageſima.*

Pro virili detractionis curſus inhibendus eſt exemplo J. C.

Quantum improbitatis eſt in eo, qui detractionem effundit, tantum meriti in illo eſt, qui eam coercet, & damnat. Non pati, ne quid contra charitatem, aut veritatem dicatur; nota eſt bonæ mentis, & cordis boni caracter; hoc eſt ſolidum habere meritum, & ſe ad JESU CHRISTI exemplum componere. Judæis male audiunt Ethnici? Ego non inveni tantam fidem in Iſrael, ait illis Dei Filius de Centurionis fide verba faciens. Ninivitæ inſurgent in vos judicii die, illis inquit alibi: Si Tyri, aut Sidone ea patraſſem miracula, quæ apud vos operatus ſum, urbes illæ jampridem in ſacco, & cinere pœnitentiam egiſſent. Adducitur ad ipſum mulier in adulterio deprehenſa? accuſatoribus illius ait, qui vobis ſine peccato eſt hic primus in illam lapidem mittat. Dicunt illi Mariam Magdalenam eſſe peccatricem in civitate? illam tuetur, aſſeritque peccata ejus dimitti, quia plurimum diligit. Imitari Salvatorem ita loquentem, hoc ſane eſt facere utilem nocenti correctionem; & efficere ut qui ſe putat innocentem ſuum ſentiat ſcelus: hoc eſt alium lucrari, & alium erudire. *Idem.*

Alius detrahentium caracter.

Si ad examen revocentur artes, & præcautiones, quibus utitur detractor, ut callide ſuum virus inſinuet; quid odioſius, & ignavius, quam clanculum ſuam effundere detractionem, eamque deferere ubi adſint illi, quos lancinat? Gloriam, virtutemque ſupprimere, ac deliteſcere, ut illi auferatur! Inquietum eſſe, & illius luce perſtringi, cum reſpicitur, & nonniſi trepidando illam laceſſere! Canis ille, qui coram leone metuebat, & in fuga tantum ſpem ſuam collocabat tunc profert feritatem ſuam, cum leo e vita deceſſit, & poteſt ipſe laniata hujus corporis membra mordere. Qui auſus non eſſet oculos intendere in faciem viri boni, cujus virtus illum perturbaſſet, vim non habet, niſi ut illum eruat de terra, & ſepulcri jura violet. Qui modo cum modeſtiæ hypocriſi prodiit coram illis, quos alloqui non audebat, & quos a ſe plurimi fieri teſtabatur, audet iiſdem obtrectare, cum illos non videt amplius; improbans, quod laudabat, ac ſeipſum condemnans, ut adeo prompta ſermonis mutatio fidem magis inveniat. Nonne intelligit ſe apud honeſtos cordatoſque viros proditorem haberi? Teſtimonio ſuo detegi ipſius perfidiam? cum nequeat diu ferre hoc pondus laudum, quas incommoda extorſit præſentia, ſe metuere, ne quis credat eas jure deberi illis de quibus cum laude locutus eſt? Haud ægre ſibibet gloriam aufert, ut alios privet. Se cum ſpecie quadam turbidi gaudii conjicit in præceps, donec alios ſecum trahere poſſit. O ignavum hominem, & infamem! Cum nequeat ad veram pervenire gloriam, niſi per virtutis viam, ulciſcitur ei detrahendo; cumque pro ſuæ dexteritatis titulo non habeat, niſi jus cenſuræ, quod uſurpat: ſibi non acquirit nominis celebritatem, niſi quatenus aliis aufert. Infirmum pulchritudinis fundamentum aliena turpitudo! Infirmum virtutis fundamentum aliena peccata! Rem propius inſpicite, & hunc verum detrahentium caracterem eſſe intelligetis. Credunt ſe carere omnibus vitiis, quæ caſtigant, & bonos haberi viros, quia aliquos inveniunt, qui boni non ſunt. Quinam meritorum cumulus, nulla niſi furto ſibi merita comparare? imitari fures, qui cædibus, raptoque vivunt; nullam, niſi quam ſuffurari potes habere gloriam, ac ſeipſum reum peculatus honoris ſtatuere, hunc ſine auctoritate aliis rapiendo. *Abbas Boileau in Quadrageſima.*

Per detractionem eripitur proximo quidquid illi pretioſiſſimum eſt.

Detractio ſurripit quidquid nobis antiquius eſt, videlicet exiſtimationem. Libertas opibus, opes vitæ, vita nomini ſacrificatur. Opes; non admodum his opus eſt, ut tranquilla, beataque vita ducatur. Libertas, ſervire per vim poſſumus, cum per virtutem ſpiritus eſt liber. Vita; non venimus in mundum, ut ſimus immortales; ſed neque ut ſimus infames. Ita per detractionem proximo aufertur quidquid illi pretioſius eſt. Telum quod in illum contorquetur, lethale eſt. Quid poſt hæc illi prodeſt vivere? Omnia illius conſilia everſa ſunt; omnium operum ejus meritum everſum eſt; ex corde fratrum illius expunctus eſt, atque triſti exilio mulctatus. *Abbas Boileau in delectis ſententiis.*

Detractio nemini parcit.

Non ſolum omnes detrahunt; non ſolum ſemper detrahitur, ſed etiam detrahitur de omnibus; de felicibus quidem clam; de miſeris vero palam. Detractio non ſecus, ac mors nemini parcit; non thyaræ, non ſolio. Vivitur inter tot genera mortalium, næ errat ille, qui detractionem fugere putat? Numquid in tuo merito confidis? improba narratio delet illud; in exiſtimatione tua? hanc detractor corrumpit. Num in dignitatibus illis invidetur; in virtutibus? minuuntur: vitia tantum augentur. *Idem ibidem.*

Detractio gerit caracterem ignaviæ.

Putas honorem tuum ſarcire, cum alienum labefactas; ſed ſcias te per indignam hanc ultionem tibimet dedecus afferre, & labem tuo nomini adſpergere. Detractio inter omnia ſcelera gerit cara-

racterem ignaviæ, ac turpitudinis, quo omnibus odioſa fit. Ita Spiritus ſanctus fœdiſſimis coloribus exhibet detractionem. Modo ſerpens eſt clanculum, ac tacite mordens: *Si mordeat Serpens in ſilentio.* Aſpis lingua celans virus ſuum: *Venenum aſpidum ſub labiis;* Modo veneficus mortem exhibens in ciatho: *Plena veneno mortifero.* Modo velut latro jaciens tela *Ut ſagittet in obſcuris immaculatum.* Quæ omnes comparationes ignaviæ ſpeciem continent, qua omnis detractio infamis efficitur. *P. de la Rue in Quadrageſima.*

Eccli. 10. ad Rom. 3. Jacob 3. Pſalm. 63.

Detractionis reparatio vix dari poteſt. *Eccli. 28.*

Palam Spiritus Sanctus nos admonet, ut linguæ vitia evitemus: *Attende, ne forte labaris in lingua tua; & fiat caſus tuus inſanabilis ad mortem,* videlicet ne crimen tuum omni careat medicina. Cur ita? Quia unicum detractionis remedium eſt reparatio, quæ ut plurimum ob tres rationes impoſſibilis eſt. Primum propter damni extenſionem, quæ ſæpe omnes reparationis vires excedit; Secundo propter detrahentis ignaviam, qui animum appellere nequit, ut reparationis munus adimpleat; Tertio propter mundi improbitatem, qui nullam vulgo rationem habet reparationis. *P. de la Rue in Quadrageſima.*

Detractio originem ducit ab invidia.

Liquet detractionem ab invidia proficiſci; neque enim aliunde ſecreta illa oriuntur deſideria, quæ cum alieno fiunt detrimento. Timores de aliorum progreſſu: artes, quibus utimur ad laborum ſuorum fructus præripiendos: ambages, quæ ad virus alienis factis allinendum adhibentur; improbæ explicationes, quibus in deteriorem ſenſum eorum ſermones flectuntur; frigidum ſilentium, quod inter laudes aliis collatas ſervatur: ſenſoria dexteritas, quæ ſub aliqua honoris nota tegitur; & tandem apertum hoc bellum illis indictum, qui per cuniculos everti non poſſunt. *Abbas du Jarry.*

Rationes ne facile fidem habeamus narratiunculis.

Numquamne eſtis experti, quam inanes, incerti, præcipites ſint rumores? Pro nihilo habetis naturalem ad mentiendum propenſionem, ad res immodice augendas, & veritatem diſſimulandam? Numquamne credidiſtis veſtris hauſiſſe auribus ea, quæ vobis dicta non fuerant? Numquamne verba, quæ vobis dicebantur in alium a vero ſenſum inflexiſtis, & ab eo, quem loquentes volebant intelligi? Ii etiam, qui ſinceriſſimi haberi cupiunt, facti alicujus narrationem aggreſſi, numquid ſemper eodem pacto enarrant, eademque cura, ne recens aliqua obrepat circumſtantia, & ne aliquam immiſceant conjecturam? velne tamquam certum venditent, quod tamquam ambiguum receperunt? Quod ſi vel parum interſit illorum in quæſtione facti; numquid probitati eorum fidendum eſt, ut credatis veritatem in ore eorum in tuto eſſe; atque ab omni ſimulatione, & exageratione immunem? *P. de la Rue in Quadrag.*

Difficile eſt reparare injuriam per detractionem illatam.

Exiſtimatio eſt honorifica opinio, quam homines habent de aliorum virtute, ac meritis: ſi detractio bonam hanc delevit opinionem in mente illorum omnium, quibus manifeſtata fuit, quid ad illam reparandam faciendum eſt? Lumen eſt, quod detractor extinxit, quid agendum, ut iterum illuceſcat! Qua arte, vel qua induſtria, ducenti, vel tercenti revocandi ſunt ab ea ſententia, quæ cum proximi detrimento illis immiſſa fuit? Quomodonam civitas integra eo liberanda eſt errore, quem hauſit, cum præſertim, ea proclivitas, qua ſemper ea, quæ mala ſunt credimus, errorem illum probaverit. Licet etiam detractor converſus ea vera eſſe negaret, quæ prodidit, numquid innocentiæ, virtuti, meritis illum reddet nitorem, & decus, quod illis eripuit? Fruſtra canitur Palinodia, mens non ita facile ea, quæ credidit, vera non eſſe credit: adeo verum eſt, injuriam inſignem, quam affert detractio, vix poſſe reparari. *P. Croiſet in anno Chriſtiano.*

Varia detractionum genera.

Varia ſunt detractionum genera; detrahitur falſo fictum crimen innocenti appingendo, & calumnia eſt; detrahitur pro re certa affirmando, quod nonniſi ex confuſo incertoque rumore collectum eſt; detrahitur in lucem proferendo crimen, quod occultum eſt; detrahitur aliis communicando, quod nobis in auriculam commiſſum eſt. Detractio eſt, in vulgus proferre factum, quod nonniſi pauciſſimis notum eſt; alia detractio eſt factum alicui tantum perſonæ committere niſi neceſſitas, vel potens aliqua ratio id exigat. Si agitur etiam de crimine, quod innotuit, adhuc peccari poteſt illud exaggerando, addendo circumſtantias, quæ latebant, & quæ facti turpitudinem augent; reticendo vero alias, quæ illam minuunt, ac leniunt. Actiones, quæ extrinſecus videntur in deteriorem partem poſſumus interpretari; atque tunc ſeu ſuſpiciones noſtræ temerariæ ſint, ſeu aliquo fundamento innitantur, has aliis communicare, detrahere eſt. Sunt etiam detractiones clamoſæ, ſunt etiam mutæ; geſtus, riſus lenis, dimidiatum verbum, tonus vocis, ſiccum ſilentium aculeatæ detractionis locum tenere poſſunt: illæ quibus irriſio admixta eſt, non ſunt aliis minus amaræ; detrahitur, mimica imitatione exprimendo geſtum, vel oris habitum defectu aliquo deformem &c. *Idem.*

Facies triſtis diſſipat linguam maledicam.

Gaudium, quod prodit in faciem fit magnum malum, cum eſt veluti ſignum approbationis quod tribuimus interioribus verbis linguæ detrahentis. Hujuſmodi in occaſione juxta Sapientis conſilium induenda eſt facies triſtis, & ſeria, quæ in ipſo ſilentio fit ſecreta damnatio detractionis eorum, quibus palam reſiſtere non poſſumus propter debitam illis reverentiam. Si diligenter canon hic ſervaretur, in ipſo ſtatim principio detractioni frænum injiceretur: hanc enim animi cupiditatem irritat magis naturalis propenſio, qua homines ſequuntur illos, qui ſeſe illi mancipant, & cum detrahentibus detrahunt. Quod ſi detrahentes aliquem in audientibus obicem invenirent, viderent in ſe relabi contumeliam, quam aliis vellent inferre, ac vererentur, ut ſibi magis nocerent, quam illis, de quibus detrahunt. *Auctor Anonymus.*

Detractionibus aures non adſtruendæ ſunt. *Eccli. 28.*

Non ſatis eſt ponere oſtium prudentiæ labiis, ne detractioni aperiantur, verum ſecundum Sapientis conſilium auribus circumducenda eſt ſepes ex ſpinis, ad detrahentes coercendos, pungendoſque: *Sepi aures tuas ſpinis.* Intelligite hoc in loco inſcitiam, vel injuſtitiam veſtram vos, qui mendacio commodatis aures, & qui vel honoris, vel conſcientiæ cauſa cum a detractionibus ferendis abſtineatis, vobis earum credendarum jus, & audiendarum voluptatem reſervaſtis. Quid facitis hoc veſtro complacendi ſtudio, hac veſtra credulitate? Detrahentem excitatis; fovetis anguem, qui pungit, ut tutius pungat; non vultis latrones eſſe, ſed latronis conſortes eſtis: perperam creditis vos eſſe innocentes a ſanguine fratrum veſtrorum, cum per plauſus veſtros acuitis tela, quibus confodiuntur, & quin illos protegatis, auxilio eſtis vulneranti. *Linguam nequam noli audire,* neque conſentiens eſto iis, qui de proximo detrahunt, niſi & ipſe pœnas luere velis. Sed quem nobis tribuit Spiritus Sanctus caracterem juſtitiæ, & innocentiæ viri boni? Hunc. *Qui opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos. Flechier.*

Pſalm. 16.

Detractio nulli parcit.

Detractio nulli parcit; quæ virtus adverſus illius tela ſecura eſt? Quidquid ſacerrimum eſt in Eccleſia, & Republica tutumne eſt a jaculis moribuſque linguæ detrahentis? Quam non infert hæc juſtitiæ, charitati, ac religioni contumeliam? Unum ſufficit verbum, ut integerrimæ innocentiæ labes æterna adſpergatur. Lapſus acciderat, quem nemo cognoverat; pœnitentia crimen iſtud deleverat; Deus illud oblivioni tradiderat; detractio illud in memoriam revocat; atque obſiſtit ipſi Miſericordiæ Domini, quia illud perennat, quia punit quodammodo id, quod Deus dimiſerat, & cujus fuerat oblitus? Fruſtra Deus ſibi fideles eligit Miniſtros, fruſtra mittit præcones ſuos ut peccatores convertat. Linguæ motus irritos efficit omnes labores eorum, & vulgatiſſima Providentiæ ſubſidia fruſtrantur. Nonne detractio charitatem extinguit, arctiſſima infringit vincula, teterrima ſerit diſſidia, irreconciliabiles inflammat inimicitias, præclaris hominibus nebulam offundit, & virtuti ſanctiſſimæ fidem abrogat? Nonne detractio omnia merita extinguit? *P. Croiſet in anno Chriſtiano.*

Deteſtaris ſcelus tuum, & perhorreſcis, conteris cor tuum ſummo dolore; fateris crimen tuum exacta ſinceritate. Luit corpus tuum pœnas, quas lingua tua merita eſt; nihil hoc æquius, nihil laudabilius, nihil utilius; verum ſupereſt adhuc inevitabile officium. Innocens hæc perſona, cujus exiſtimationi offeciſti, & cui teterrimam offudiſti labem, juſtam exigit reparationem, neque vult Deus hanc veniam concedere, niſi reparaveris inſignem injuriam, qua fratrem tuum affeciſti; niſi famam, quam fœdaſti, omnino integram, incolumemque reddideris. *P. Croiſet in anno Sancto.*

Quæ fiunt narrantes vulgo peccant.

Narrationes ut plurimum nocentes fiunt, quamvis ea, quæ narrantur vera ſint; verba enim quæ repetuntur, in ſeipſis erant innoxia, ubi ſpectetur ratio, occaſio, & intentio, qua dicta fuerunt, & nocua fiunt niſi quod repetuntur vel imprudenter,

vel nequiter illi, qui ea numquam ſcire debuiſſet, & cui numquam dicere voluiſſet ille, qui ea protulit. Quilibet ſibi invigilare debet, ne hujuſmodi facta narret; hæc enim verba, ut monet Sapiens, ſæpe *perveniunt ad intima ventris;* atque ita lethaliter vulneratur charitas, quin agnoſcatur.

Prov. 26.

Suſurro ſerit jurgia.

Hæc vulnera multo majora ſunt, quam vulgo credant inferentes illa: qui enim vulnerati ſunt his verbis, quæ ſibi narrantur, facile credunt eos, quibus referuntur acceptæ, animum mutaviſſe, ac ſe ab illis non amari, quia malæ narrationes illis aliquam ſuſpicionem injiciunt. Ita, qui maxime conſentiebant, diſſentiunt, & ſenſim ſcinditur illud Chriſtianæ amicitiæ vinculum, quo nihil in terris pretioſius; quia amor idem, quo inter ſe junguntur homines, hos conjungit Deo. Hinc merito Sapiens ait: *Suſurrone ſubtracto jurgia conquieſcent. Idem anonymus.*

Prov. 26.

Fides habenda non eſt iis, quæ narrantur.

Non ſolum incertæ narrationes aliquando inveniuntur, ſed fere omnes tales ſunt. Et ubi res ſerio inquiruntur, ſemper vel plus, vel minus invenitur. Cupiditas, & mentis iniquitas fere mutant veritatem in iis, quæ ab hominibus ultro citroque narrantur; qui maxime ſinceri videntur, & quorum nulla ſuſpicio eſt, hi tamen nos fallunt, quia falluntur. Sunt, qui ubique interferunt ſuas animadverſiones, & judicia, tamquam facta, & non ſecernunt ea quæ vera ſunt in iis, quæ narrant, & ea, quæ ipſi ratiocinando comminiſcuntur, & inde unam veluti hiſtoriam concinnant. Ita nulla ferme haberi poteſt fides iis, quæ ab hominibus referuntur; & ſicuti temere judicant, qui ex incertis judicant indiciis, & pleræque narrationes hujuſmodi ſunt, ſequitur, pleraque judicia his innixa narrationibus, eſſe temeraria. *Tract. de Judiciis Temer.*

Irriſio magnum vulgo crimen eſt. *Prov. 26.*

Tunc etiam cum proferuntur per levitatem, non autem nequitiam irriſoria verba, & vere dici poſſunt hæc jocando dicta fuiſſe, juxta verbum illud Sapientis: *ludens feci;* non ideo minus peccatur, S. Bernardus ait: jocaris, addit illa, ſed audiens, te vera dicere putat. Cor illius vulneratur. At enim vocula eſt, & per jocum prolata. Hinc imo major noxa tua eſt; quod Charitatis violationem in jocum convertis. De vulnere non fertur judicium a manu illud inferente, ſed ex impreſſione facta in illo, qui fauciatus eſt. Quod parvulum videtur, fit majus, cum magnos exitus habere poteſt: & timens Deum nil eorum negligit, quæ illi poſſunt diſplicere. *Recens auctor.*

Irriſio in Eccleſiaſticis nocentior quam in Laicis.

Si irriſio in omnium mortalium genere nocua eſt, quanto erit nocentior in Eccleſiaſtico, de quo S. Bernardus affirmare non dubitat id, quod in ſæcularis ore ſimplex eſt jocus, in ore Eccleſiaſtici eſſe blaſphemiam. Cæterum irriſionis caracter eſt omnium nequiſſimus, & homines minus ſe lædi putant contumelia in ipſo iracundiæ æſtu prolata, quam minimo quolibet joco. Sed quomodo ferendus in illis eſt, qui noſtras norunt infirmitates propter noſtram cum illo neceſſitudinem, & auctoritatem, quam illi in noſmetipſos conceſſimus? *San Marthanus Tom. 1.*

Critica eſt ſpecies detractionis ſpecie boni palliata.

Opera aliena nequaquam ſpiritu juſtitiæ, & bonitatis impetimus; & minus in aliorum vitiis corrigendis laboramus, quam faciendo, ut nos ab illis immunes cenſeamur. Alioquin tot curis exercéremur, ut ſuper eorum interitu tolleremur, & creſceremus per ea mala, quæ illis conflamus? Nulla cenſura eſt, quamvis moderata, quæ ſuas non expediat rationes, & jura, ſine illius detrimento, quem notat. Quo plura invenit corripienda, eo magis dominatur. Seſe attollit prout alios evertit, neque meretur niſi everterit. Ita hoc proprie loquendo eſt valere, quatenus alii infirmitatibus laborant; & eatenus exiſtimationem mereri, quatenus alii probro digni ſunt. *Auctor Recens.*

Ejuſdem argumenti.

Cum artis criticę ſit opus aliquod per illud ipſum evertere, auget objecta, atque in jocum traducit. Fodit, penetrat, profert in apricum, quod in mundi totius oculis erat abſconditum; ipſa vero non habet oculos niſi ut vitia intueatur. Hæc ſi abdita ſunt, efficit manifeſta, ſi manifeſta ſunt, efficit magna. Immo id etiam videndum exhibet, quod non eſt. Æque ex iis, quæ bona ſunt, ac ex iis, quę mala, creſcit, ac magis magiſque proficit per quaſdam contradictiones, quas in ſenſu maxime naturali deprehendit. Separat quæ conjuncta ſunt, atque adfectatis tranſlationibus corpus tribuit ſeparatis locutionibus, ut ex earum nexu contra opus univerſum riſum cieat. Verbo, Critice non immoratur in qualibet ſermonis parte, niſi ut ipſa intumeſcat, & ſermonem corrumpat, inſtar inſectorum, quorum natura prava in virus convertit omnia alimenta, quibus utuntur. *Auctor Recens.*

Licet detractio turpe ſit vitium, tamen vulgatiſſimum eſt.

Undenam fit, ut obtrectatio, quæ vitium eſt adeo turpe, & rationali homine indignum, ſit nihiloſecius adeo pervulgatum? Contemnimus, & fere perhorreſcimus, qui in cœtibus virulentum dentem proximo illidit, & pauci abſtinent quominus mordeant, & ſaucient. Mirum eſt, quod adeo parum nobiſmet timeamus notam, quæ in aliis nos terret. Si leviter cogitemus communem eorum caracterem, qui detrahunt; detractio vitium eſt auctori ſuo turpe, eumque efficit illo, de quo detrahitur, contemptibiliorem. Detractio effectus eſt animæ abjectæ, quæ ſeipſam parum idoneam ſentiens ad honeſtorum virorum exiſtimationem promerendam, quærit ſuam tegere infirmitatem alienas amplificans. Nobiles ſenſus vera honeſtas efficere deberent ut præclaras animi fratrum noſtrorum dotes intueremur, & ſi quid minus perfectum detegeretur, hoc ipſum excuſaremus. Tunc pietas in educationis, & rectitudinis ſubſidium deberet accedere, ac nos lætitia afficere, ubi videremus fratres, qui talentis ſuis, vitæque ſuæ ſanctitate Deum poſſent glorificare. Quo in loco, amabo vos, in culto, honeſtoque populo haberi poteſt ille, qui oculos habere videtur ſolummodo, ut ea ſcrutetur, quæ aliis pudorem cient? Nonne ſuppetit occaſio cogitandi, hunc noxas ſuas tegere velle, cum voluptate alienas retegendo? Qui veris ornatus eſt meritis, nonne ſibi honori vertere debet ſimilium ſibi virtutem? Et ſi ſapit, nonne plurimi facere eos debet, qui, ut ipſe, virtute præditi ſunt? Detractorem quacumque in luce tibi placuerit, conſtitue: nihil in eo magnum reperies; illum repentem ſemper intueberis. Se ipſum contemptibilem ſentiat oportet, cum alios contemnere, ac dejicere quærit. *P. la Peſſe Tomo 4.*

Mirum, quot clades in mundo pariat detractio.

At enim detractio potius oritur ex animi levitate, quam ex ſeria cupiditate damnum proximo inferendi. Sed quænam hæc levitas eſt, quæ lites accendit; ignem in integras jacit familias; quæ omnium conditionum hominibus fucum allinit; quæ ſuſpiciones ciet in nos, qui omni vacamus mali ſuſpicione? Quæ levitas, quæ in commune ludibrium trahit eos, qui honeſtiſſime vivunt? quæ domui ſciſſuram pariunt, quam fere omnigane excipit ruina? quæ tamquam fabulam traducit, actionem a pluribus æternis lacrymis deplorandam! Quę levitas, quæ bonis ſcandalo eſt, eoſque adigit nonnumquam, ut & ipſi ſcandalum præbeant quod receperunt, quamvis præter mentem, & voluntatem! Bona fide vocari ne levitas poteſt, vitium, quod virtutem dedecorat, dedecorans eos, qui virtute præditi habentur? Omnes ergo horrere debent detractionem, quia in omni ſenſu violat quidquid in civili, & chriſtiana ſocietate ſanctiſſimum eſt. *P. la Peſſe Tom. 4.*

Detractio ſæpe accidit ex atrabile, & ingenio moroſo.

Atra animi ægritudo, agreſte ingenium in plurimis eſt fons jugium detractionum. Hæ feroces ſunt animæ, quæ gaudent nocere, aliiſque negotium faceſſere; & quia nulla fruuntur quiete, vulgo in eo notæ ſunt, ut in omnes familias turbas conjiciant. Detractor ſimilis eſt milvio, qui vivit rapto, & carnibus quas roſtro, & unguibus diſcerpſit. Omnia illi crucem figunt, omnia illum irritant; ſemper paratus ut in deteriorem ſenſum detorqueat, quæ laude ſunt digna, in iis omnibus, quæ habet obvia, reperit unde ſeipſum exaſperet, & fel ſuum nutriat; veritatem æque ac mendacium exaggerat. Similis araneæ, & buffoni, ex malis terræ humoribus viventibus paſcitur, omnibus pravis qualitatibus, ſeu veris, ſeu fictis eorum etiam virorum, qui in mundo honeſtiſſimi habentur. In æquiſſima moderatione deprehendit exceſſus. Si quid in mundo recte factum videt, hanc externam ſpeciem ad homines fallendos appellat. Domi tuæ tibi vivis; te atra bile laborantem vocat. Lectionem diligis: hoc a te fieri dicit, ut laudes aucuperis. Pietatis opera exerces; hypocrita es. Ita Detractor omnia perſtringit; & qui integerrimus eſt, dentem illius nequit evitare. *Idem.*

Quam difficile ſit reparare injuriam proximo illatam per detractionem.

Verum quidem eſt, ubi de detractione agitur, ut plurimum non deeſſe complures ſapientes, cordatoſque homines, qui non adeo temere fidem habeant inſipienti, impio, Phariſæo, meretriculæ. Sed quot ſunt creduli parum charitatis amantes, qui in ſatyram incidunt? Quantum temporis neceſſe erit ad reparandam jacturam, quam lingua virulenta noſtræ intulit exiſtimationi. Vita pluribus an-

annis cum laude anteacta non ſarciet fortaſſe ictum, quem læſus homo temporis momento accepit. Sed omnes oculi inhærentes veſtigiis illius, non ita facile patienter ſe decipi, ut fuere decepti? Verum miſſile contortum in illum, aliquam ſemper cicatricem relinquet. Aliqua ſemper virtutibus nota ſupererit; & cum ſemel accuſatus fuiſti gravis alicujus criminis, in quo puritas, fidelitas, rectitudo læſa fuerit, numquam ferme deletur impreſſio tota, quam criminatio illa in animis peperit. *P. la Peſſe.*

Detractio quodam in ſenſu cauſa eſt, propter quam in ipſis criminibus triumphatur.

Scimus detractionem libenter in mundo audiri; quemque adniti, ut in dies fiat jucundior; enarrationem narratione expectari, urbes plenas eſſe quadam ſcurrarum ſpecie de cætu in cætum, de regione in regionem euntium, ut varios caſus colligant, & effundant; ſed quam ipſi injuriam homini inferemus, ſi illius exiſtimationem tradiderimus tot linguis jam exacuatis ad eam dilaniandam? Hoc pacto, S. Joannes Chryſoſtomus inquit, auctoritatem tribuimus vitio, non ſolum detractionis, ad quam natura ipſa proclives ſumus ob propriam noſtrummet exiſtimationem, verum etiam vitiis omnibus, quæ in ſæculo dominari conſueverunt. Qui male vivunt, hac de cauſa animum obfirmant ſuum in ſceleribus, quia ſibi perſuadent, non deeſſe ſimiles ſibi in ſuo vivendi genere: *Segnior ſis, peccati communicatorem nactus.* Impudicus, qui prodit in ſcænam, audaciorem efficit impudicum, qui ſpectator ſedet. Quot adoleſcentuli pudoris fræna laxarunt, poſtquam impudice factum narrari audiverunt? Hinc ſimus ſcandali cauſa viris bonis, qui intumeſcunt, ac ſuperbiunt, cum ſe vident vacuos iis criminibus, de quibus loquimur. Hinc magnum detrimentum univerſæ afferimus Eccleſiæ: facimus enim ut impii atque hæretici triumphent, detegentes improbas actiones, quas fideles ipſi commiſerunt. *Idem ibidem.*

Hom. 3. ad Pop. Antioch.

Detractio eo turpior eſt, quo detrahitur, magis abeſt.

Omnia in detractionis vitio turpia ſunt, quamvis regnet in cætibus ampliſſimis, & honeſtiſſimis. De abſente loquimur, qui ſeipſum tueri nequit, & qui non diffidit de nobis, qui ſi ſciret, quid in ipſo a nobis reprehendatur, ſeipſum fortaſſe corrigeret; qui fortaſſe innocens eſt, & quem ipſi nonniſi ex aliquorum fide cognoſcimus, quorum intererat illi fidem adimere. Nonne ſumma hæc ignavia eſt? Nonne factum hoc eſt indignum non Chriſtiano dicam, ſed honeſto viro? Præbemus procul dubio pergratum iis cætibus, in quibus ſumus ſpectaculum; cum aliquando præſenti blandimur, eumque laudibus attollimus abſentem vero ſatyrico ſale perfundimus. Sumptibus illius ex toto conventu riſum elicimus, ubi ingreſſus eſt, alium vocis tonum uſurpamus. Adfectatum officium mordaci irriſioni ſuccedit. Partes noſtræ noſtram omnino decent perſonam. Cum arte detrahimus, ut pro virili ſcelus noſtrum tegamus; atque ægre ferremus, ſi tales haberemur, quales ſumus; & inviti licet agnoſcimus magnum eſſe pudoris argumentum alienæ exiſtimationi nebulas offundere. *Pater la Peſſe. Tomo* 4.

Quibus artibus detractio utitur, ut iis, quæ dicit habeatur fides.
S. Bernard. ſerm. 24. in Cant.

Simulata hypocritaque modeſtia, quæ nobiſmet exprobrat ſermonum noſtrorum horrorem, & quæ indicium eſt timoris ejus, quo veremur, ne in caput noſtrum probrum incidat, aliis detrahimus. *Videas præmitti alta ſuſpiria; ſicut quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſuperciliis, & voce plangenti egredi maledictionem?* Quod ſcurrilitatis genus; ex imo pectore ſuſpiria emittere; humi oculos figere: gravem habitum oris aſſumere, voce gemitum imitari; idque ut tuto alienæ exiſtimationi officiatur. Ita detractorem videmus, cenſorio habitu calumniam, libellum offundere, & pia cura efficere, ut in eorum incidant manus, qui fallaciæ fraudem inveſtigare non poſſunt. Quid conatur detractor? Sibimet perſuadere ſe iis eſſe immunem criminibus, quorum nomine alios inſimulat; & hanc ob cauſam eo magis infamiæ nota adſpergimur, cum alios adſpergere conamur. Omni ratione, ac ſenſu careat opus eſt ille, qui non intelligit quidquid fratribus noſtris exprobramus, verius noſtram, quam illorum partem eſſe. Si proximo detrahere poſſemus citra Dei læſionem, facinus venia dignum eſſet; ſed inter duas haſce perſonas adeo arcta conjunctio eſt, ut prima Chriſtianæ religionis principia nobis ſufficere debeant, ut deteſtemus morum diſciplinam adeo alienam, & hactenus illis etiam ignotam, qui Ethicæ ſuperſtitionis tenebris impediti ſunt. *Idem ibidem.*

Hæretici omnium detractorum nequiſſimi, & quare.

Hæretici qui præ ceteris morum reformationem crepant, ſunt detractorum omnium nequiſſimi, & detractiones ſuas majori cum fragore perſonare faciunt. Fanda, infanda, omnia ipſis licent. Nobis autem mirum eſſe non debet, ſi qui Eccleſiam lancinant, non parcunt illis, qui honore fruuntur in filiorum ejus numero adnumerandi. Videntur hypocritæ; vera enim virtus non lædit charitatem. Videntur, inquam, hypocritæ, qui ſibi pietatis praxim concinnant Deum colendi iis victimis, quas amori proprio, quas invidiæ, quas iracundiæ, quas falſo ſuo immolant zelo. Quidquid illos offendit, offendit etiam Evangelium; & Evangelium, eorum more interpretatum illis præcipit, ut promiſcue lancinent eos omnes, qui ipſorum menti, vel cupiditati ſe minime accommodant. Eorum tela plerumque maxime profunda, ac periculoſa inferunt vulnera; quia minus timentur, & callidius veneno imbuta ſunt. Curam etiam gignunt cum videntur ingruere, adeo belle doloſis ſpeciebus involuta ſunt. Vir ille, inquient, omnibus eſſet numeris abſolutus, ſi hanc in ſe corrigeret infirmitatem. Veritas eſt, illum huc uſque proceſſiſſe? ſed deplorandus eſt. Quantum mali, quod levis cupiditas, & propenſio animi illum huc uſque perduxerit! Hoc factu incredibile videretur, niſi cordati viri id teſtarentur, tandem hoc malum eſt; & ſummo dolore conficior. *P. la Peſſe Tom.* 4.

Detractor in ſe ipſo ſemper luit pœnas injuriæ, qua proximum affecit.

Quis umquam ſibi ſolatium afferre poterit ſaucio tuis crudelibus detractionibus, & calumniis, quas ſuper proximi tui exiſtimationem effudiſti: Donec conſcientia jucundum præbebit teſtimonium illis, quorum res præclare geſtas detractionibus tuis veneno infeciſti: indeſinenter conſcientia tua exprobrabit tibi injuriam, qua illos affeciſti. Non poteſtis videre illos, quin in vobiſmetipſis dicatis: hæc illa triſtis eſt victima, qua litavi imprudentiæ meæ, vanitati, invidiæ, vindictæ. Ego illi contumelioſam affinxi labem, quæ illam dedecorat; labem, quæ illi tot peperit contemptus, atque repulſas, labem, quam lacrymæ meæ delere non poſſunt; labem, quæ in me aliquando reſiliet, & propter quam fortaſſe pœnas æternæ infamiæ ſuſtinebo. *Idem ibidem.*

Detractio oritur ex ſecreta in animos dominandi libidine.

Quid dici poteſt de detractionibus, & ſale ſatyrico, quo plerumque mortalium colloquia condiuntur; niſi dixerimus, illas fortaſſe ex infinita ſuperbia, & ſecreta in animos dominandi libidine proficiſci? Quodnam enim aliud habere poſſent principium? Num procedunt ex vera cupiditate aliena crimina corrigendi? Hoc in caſu qui peccaſſet, ſumma cum prudentia, & lenitate clanculum corripiendus eſſet, quin per inanem, ſævamque commiſerationem crimen ipſum in vulgus proferretur. Num procedunt ex animæ ſinceritate facta ſimpliciter enarrantis ſine ulla nocendi intentione? Præterquamquod hæc ingenua ſinceritas pluribus in locis eſt vituperanda, hi ſpiritus, de quibus loquimur, numquid habent illam, qui illam habere deſinunt, cum iis, de quibus detrahunt, plures, quam audire vellent, laudes deferuntur. Proceduntne ex Dei ſpiritu, qui mala a bonis operibus tanta æquitate, atque ſapientia novit ſecernere; ut juſtiſſime alia commendet, condemnet alia? Profecto methodum hanc ſe ſequi pii hujuſmodi cenſores gloriantur; ſe quidquid faciant, facile eſt deprehendere, illos ſecretam ob artem loqui, ſicut olim dæmon primos parentes noſtros allocutus eſt. Hic in fatali eo colloquio nequaquam dixit: Deus injuſtus eſt: illis tantummodo quæſtiones, ac dubitandi rationes propoſuit, ut ſenſim, & callide perſuaderet illis, quod palam dicere non audebat. *Quid præcepit vobis.* Si Deus juſtus eſt, cur vetuit, ne comederetis ex fructibus omnibus, quos ille poſuit in Paradiſo voluptatis? *Sermones Morales. Tom.* 4.

Subdolæ artes, quibus detractores virus ſuum in mentem aliorum infundunt.

Quibus artibus non utuntur detractores, & critici, ut in audientium animos blande virus inſtillent, quo imbuti ſunt? Nolunt dicere de judice hoc, ab illo venundari juſtitiam; de hac puella, corporis quæſtum ab ea fieri; de hac muliere, hypocriſi pietatem ſimulari, de Concionatore hoc, parum ſanam illius eſſe doctrinam, vel plagiarium eſſe, alienoſque labores pro ſuis venditare; ſed in colloquiis ſuis efficiunt, ut ultro incidant quæſtiones, & ſcrupuli ſui ut illis, cum quibus adeſſe conſueverunt perſuadeant, quod dicere non auderent. Judex hic in judiciis recte ferendis conſultiſſimus eſt; nihil mali facit, niſi quod vult; ſed cur inquiunt? Cur favet

vet illis, quos commendatos habet? Cur ſemper ſollicitudinem oſtendit ſuam, ut in rebus etiam injuſtis indulgeat amico, qui ſeſe illi devovit? Puella hæc modeſta eſt; animum inducere nequeo, ut mihi perſuadeam, illam ſontem eſſe ejus criminis, quo fieret totius civitatis fabula. Sed cur? Cur privatas fovet neceſſitudines cum illo, qui plus æquo liberam trahit vitam? Cur hanc colit amicitiam, quæ peſſime audit. Mulier illa devota eſt, & charitate plena; ſed in ejus pietate nimium adfectationis ineſt, vel nimium minuſcularum ſuperſtitionum. Liber hic ſatis bonus eſt; ſed quidquid boni illi eſt, ab alio eſt auctore; hæc non eſt niſi congeries quædam ex aliorum ſcriptis conſarcinata. *Ibidem.*

DEVOTIO,

PIETAS VERA, ET FALSA DEVOTIO.

MONITUM.

Argumentum hoc, quod nullus fere ex veteribus Concionatoribus attigit, hodierna die ita vulgatum eſt, ut de eo integræ paſſim conciones audiantur. Ipſi etiam Sancti Patres nequaquam locuti ſunt de devotione eo in ſenſu, in quo iſthic accipitur niſi ſub nomine Chriſtianiſmi, vitæ, virtutiſque Chriſtianæ, vel Profeſſionis Religionis illius, quam ſumus amplexi. Hodie vero cum concionatoribus Moralis maxime arrideat, turpe rati ſunt eam præterire virtutem, quæ inter illas, quæ morales vocantur, principem obtinet locum; Religionem videlicet, quæ Dei cultum reſpicit, cujus præſtantiſſimus, atque excellentiſſimus actus eſt devotio.

Ut argumentum hoc utilius fiat, de devotione agemus, non autem in eo ſenſu, in quo vulgo uſurpatur pro affectione erga preces, vel proprio ille ſenſu, quam viri boni Orationi Mentali vacantes percipiunt; ſed pro publica profeſſione, quæ fit, fidelis, ferventiſque Chriſtiani officia adimplendi, atque bona opera exercendi; hoc enim devotum eſſe, & colere devotionem ſignificat.

Verum cum facile, immo etiam frequentiſſimum ſit, a vera via recedere, ſeipſum fallere, aliiſque etiam in hac re imponere; quippe virtus hæc inter graviſſimorum, ac perniacioſiſſimorum vitiorum confinia poſita eſt: loquemur etiam de devotionis defectibus; nec non veræ falſæque devotionis notas trademus. Quod autem ad hypocriſim pertinet, quæ vitium eſt illi maxime oppoſitum, & quod ſæpe tribuit occaſionem in ſuſpicionem vocandi pietatem ipſam, quæ maxime ſincera, ſanctaque habetur; ſeorſim de eadem peculiari titulo agemus, non ſecus ac de fervore; uberrimam enim rerum copiam utrumque hoc argumentum ſuppeditat. Denique ſicuti nullum invenit finem obtrectatio, ubi hanc rem attigerit; Concionatori ea ſuppeditabimus, quæ ſatis, ſuperque eſſe valeant ad devotionem tuendam, docendoſque Auditores, quid facto opus ſit, quid non item, ut ſint vere devoti.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Syſtemata.

I. PRO concionis argumento provinciam aggredi poſſumus; 1. Tuendi devotionem contra impios, & flagitioſos homines, qui, cum omni prorſus pietatis ſenſu careant, ubique in jocum traducere conantur nequiſſimis irriſionibus, impiiſque dicteriis eos, qui palam eam profitentur. 2. Eos conſolandi, qui hujuſmodi aculeatis ſermonibus impetuntur, & qui vel a Dei ſervitute recedere poſſent, vel ſanctas exercitationes ſuas relinquere propter adeo obſtinatæ perſecutionis timorem.

In parte priori oſtendi poteſt; 1. temeritas judiciorum, quæ ab impiis fiunt de piorum hominum devotione ſecundum nefariam, quam & ipſi animo imbiberunt devotionis ideam, & aliis conantur ingerere. Si enim Dei jura invadere eſt de interiori fratris ſui pietate judicium ferre, cum etiam aliqua ſuppetit cauſa exprobrandæ actionis, quæ extrinſecus quidem videtur (niſi etiam re ipſa ſit) prorſus inexcuſabilis; quo potiori jure dicendus eſt ille ſibi divinam vindicare auctoritatem, & iniquum ferre judicium de agentis intentione, cum externa ſpecies bona ſit, atque irreprehenſibilis? Quid autem? Charitas jubet, intentionem ſaltem excuſari, cum factum ipſum laudari, probarique non poteſt; & licebit credere, pravam eſſe intentionem, cum actio exterior recta ſit, qualis eſt cultus, qui defertur Deo, ſedula in religionis officiis opera, fidelis divinarum legum obſervantia, vel naturale illud ſtudium, quo nonnulli ad pietatis exercitationem trahuntur? S. Paulus eos accuſat,
II. qui de fratribus ſuis male judicant ex ſola externa ſpecie, quaſi illi rei eſſent ejus criminis, de quo alios inſimulant; quid igitur dicere potuiſſet de illis, qui adeo lævum judicium ferunt ex iis actionibus, quæ non ſolum innocuæ ſunt, verum etiam piæ, & ſanctæ? Nonne hoc eſt de ſanæ mentis judicio prorſus eſſe dejectum, ſimilemque iis eſſe, qui per coloratam cryſtallum intuentes objecta, omnia colore imbuta conſpiciunt? Hoc eſt, de mortalibus omnibus judicant ſecundum animi ſui diſpoſitionem: impii ſunt, ideoque mortales omnes impios eſſe ſupponunt. 2. Eorum ſuſpicio non ſolum temeraria eſt, verum etiam injuſta: ex illis enim quæro, utrum quod mercator aliquis ipſis fucum fecerit, poſſint ideo jure mercatores omnes doloſos eſſe arbitrari? ſi Judex aliquis muneribus ſe corrumpi paſſus fuerit; ſi Eccleſiaſticus arecto virtutis tramite aberraverit, utrum Judices omnes tamquam iniquos, & Eccleſiaſticos tamquam ſuo indignos caractere poſſint exiſtimare? Quemadmodum laboraret argumentum, ſi ex aliquorum vitio generalis erueretur illatio; ita neque recte argui poteſt, quod nonnulli devotione abutuntur, ideo devotos omnes, vel hypocritas eſſe, vel avaros, vel inurbanos, & humanæ ſocietatis oſores: ac tandem nullam eſſe ſinceram devotionem, nullam veram pietatem. Longe aliter S. Auguſtinus argumentatur, uti illuminatum Theologorum decet: ait enim, veritatem mendacio, & ſinceritatem calliditati præceſſiſſe, neque ſciri unquam potuiſſe, utrum falſi exiſterent devoti, niſi primum exploratum fuiſſet, veros adeſſe; neque ullum in devotione futurum fuiſſe abuſum, niſi fuiſſet compertum, non deeſſe quamplurimos, qui eadem utantur egregie. 3. Impii ex nequitia & devotione obloquuntur, eoſque irridens, qui eam propalam profitentur. Quorſum enim eorum ſpectat obtrectatio, niſi ut ſua excuſent flagitia, ac fidem adſtruant, viros bonos, & qui frugi vivunt, ipſis meliores non eſſe; ſed eſſe tantum in ſceleribus ſuis contegendis callidiores. Excuſationem igitur dumtaxat, vel prætextum ſceleribus quærunt, eumque ſe inveniſſe arbitrantur, cum aliquid minus rectum excidit illis, qui religio-